

MYROTHECIVM MORALE

MYROTHECIVM MORALE

DOCVMENTORVM TREDECIM

Quę ſunt totidem Lectiones ſuper Textum Ariſtotelis Lib. 8. Ethicorum

DE AMICITIA

Cum duplici pia Appendicula, & Indice Librorum

AVCTORE

PAT. FR. FRANCISCO A S. AVGVSTINO, MACEDO.

Min. Obſer.

Lectore Iubilato, & Publico Patauino, Luſitano, Concionatore, & Conſiliario Regis Galliæ, & Hiſtorico Regio Latino Portugalliæ, Veneto Ciue.



PATAVII, Typis Iacobi de Cadorinis, MDCLXXV.

Superiorum Permiſſu.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO D.
D. SEBASTIANO
PISANO
Episcopo Veronensi, Comiti, &c.



Ix dum ortus erat hic fœtus, cùm te, Illustrissime Princeps, natalitium Sydus prouocauit. Ambitione splendoris: eoque se generosum probauit, quòd est ausus eam ferre lucem, quæ vel Aquilam intuentem obrueret. Si natales spectemus: Pisanæ familiæ fulgor clarissimus vltra fumos Romanarum imaginum tendit, & collecto Pisoniano fastu incenditur, vt necesse fuerit aquis Venetis temperari. Si perso-

nam;

nam ; auguſta ſpecies tua digna, quæ vbique imperet videtur. Spiras neſcio quid cæleſte, & cùm ſis humaniſsimus, maiorē te, quàm pro humano habitu maieſtas oris, & corporis prodit. Si ingenium: acre, ac viuidum, quod in oculorum acie vibrat. Si genium: blandus ille, ac dulcis animos allicit. Si indolem: præclara, & excelſa nititur ſurſum, & ſuperos anhelat. Si animum: generoſus, ac vaſtus refutat anguſta, capit latiſſima. Si mores: ſuaues, & probi, vt verè ſis, quod proprium tuæ ſtirpis fuit, Frugi, ſed cum publico fructu. Si virtutes: contines omnes eo in gradu, vt ſingulę de Principatu contendant. Earum tu egregium à teneris ſpecimen præbuiſti, cùm

Eu-

Europam penè totam adolescens peragrasti, & vbique impressam tuæ virtutis orbitam reliquisti, & Veneto nomini, cùm ex te æstimarentur cæteri, gloriam comparasti. Publicis Reipublicæ muneribus cum potestate præpositus, quantum in eo genere posses, si ea tibi eundum esset ad famam via, prudentia, integritate, iudicio, & dexteritate monstrasti. Sed Sacra te vocabant, vt vtranq; virtutis paginam faceres, & integro vultu totam præstares Rempublicam. Ab Illustrissimo Patruo tuo, Sebastiano, Viro incomparabili ad Thessalonicensem Archiepiscopatum assumpto, vocatus in Veronēsem, quam tibi cessit, Ecclesiam, eidem paribus animi dotibus successisti, &

& ſpem iuxtà,& locũ impleſti. Expectationem omnium ſuperaſti. Congrua tibi dignitas erat, quòd ex ſacro, & profano Principatu conſtans, & religionem Præſulis, & ſplendorem Comitis continebat. Vtrunque ſic agis, vt Principem repræſentes pium, & Paſtorem ſplendidum. Nemo in paſcente pietatem, nemo in regente maieſtatem deſideret. Munera diſtinguis, nec diſſipas: eadem copulas, nec confundis: illa tua prærogatiua eſt, vt neq; officij obliuiſcaris cùm paſcis, nec beneficij cùm regis. In Eccleſiaſtico munere obeundo Præſulem te omnibus numeris abſolutum exhibes. Agis cauſas fidei, vti Athanaſius: Eccleſiæ, uti Baſilius: potentum uti

Am-

Ambroſius; pauperum, uti Auguſtinus: laudas virtutes, uti Nazianzenus: reprehendis uitia, uti Chryſoſtomus: cõſolaris afflictos, uti Gregorius. Cùm ſacra peragis imaginem prætefers ſanctitatis; at ſemper retines innatam dignitatem, & in uſum Eccleſię uertis, factus ad ornamentum, & gloriam religionis. Abundant tua cimelia ſupellectile omnigena: nihil ijs ornatius, nihil ſplendidius, nihil opulentius. Quæ copia uaſorum ex auro, & argento ſacrorum? quæ ueſtium Pontificalium? quæ cæterorum Altaris ornamentorum? ut theſaurus quidam Eccleſiaſticus in Epiſcopali tua domo ſitus ſit, non vt obrutus deliteſcàt, ſed vt in vſum Eccleſia pateat, effunda-

turque, oculis omnium expositus ad dignitatem. Huc trahis equorum, equitumq; vim, multiplices currus, ingentem comitatum, celebrem pompam, quæ te Principem deceat, & augeat Ecclesiæ venerationem, cultumq; commendet rerũ diuinarum. Natura munificus, & splendidus oues tuas, & vestis, & foues, & pascis liberaliter: proinde nulla balat, nulla gemit, errat nulla. Omnes & abundant, & gaudẽt: Ciues beantur, sibiq; de tanto Pręsule gratulantur. Hospitalem Aulam tuam reddis ad te auidè confluẽtibus, quos externos accipis, ij statim in ea hospites esse desinũt, & in ciues, domesticosq; vertuntur. Sic aluntur, fouentur, decorantur, ornantur, vt in Palatium mi-

grasse

grasse se sentiant. Expertus dico: inter eos magna felicitate relatus, nihil vidi magnificētius, nihil copiosius, nihil splendidius, & audiui plurimos qui mecū Romæ (vbi est munificentiæ domicilium) fuerant dicentes, Veronæ se Romanę Curiæ propter pietatem, & splendorem viuam imaginē intueri, ac te Principe istam Vrbem paruam sibi Romam videri. Cùm domo egrederis omnium te expectatio comitatur, & ad feruentis currus strepitum, & volubilium impulsū rotarum communis plausus exoritur, vt triumphare in alta pace ob amorem ciuium videaris. Hæ tuæ mirabiles virtutes à me perspectę, ac exploratæ effecerunt, vt aliquo te genere obsequij demereri, & gra-

ti animi ſignificationem exhibere conarer. Et ſi verò ea minus ſit digna amplitudine tua, & maieſtate; ob argumentum tamen aptum, & idoneũ perſonæ tuæ auguſtæ congruit, quòd ſit de amicitiæ Documentis, qua Tu virtute polles, poteſque plurimùm, vt qui ſingularẽ in amicos fidem, & ſerues, & præſtes, & nullum in eos genus officij prętermittas, & aliorum rationes proprijs anteponas. Indole officioſiſſimus, ac diligẽtiſſimus, qui omnes vias, & artes tenes benefaciendi ijs, quos amaueris. Nec longè ſunt exempla petẽda. Mortuo Excellentiſſimo D. Fratre tuo, non ſine dolore, ac pręter votum ſuperſtes, eius liberos in tutelam accepiſti. Maiorem natu præſtantem do-

tibus

tibus nobilissimo cõnubio cum Illustrissima Virgine copulasti, & paternę domus amplitudinem integram conseruasti, pari coniuge reddita, moribus, simili, opibus, & nobilitate. Minorem florentem ingenio Veronã vocasti, vt coràm optimis, & artibus, & virtutibus imbueres, quamquam maxima pars doctrinæ sit, te insignem omnibus virtutibus Patruum intueri. Itaq; nemo est finitimorum Principum, quin te diligat suspiciat, admiretur, quin suis te litteris peramanter salutet, quin tuam nõ ambiat amicitiam, quam tu cùm religiosè, & cũ fide colas, excolasq; officiisque, donis foueas, magnificentia decores, splendore illustres, efficis, vt hoc tibi argumentum ami-

amicitiæ mirificè congruat,& quę hìc à me documenta ſunt poſita, ea omnia tanquam exempla à tua ueræ Virtutis idea petita eſſe uideantur. Vale.

Seruus Tibi addictiſſimus

Franciſcus Macedo.

PRO:

PROLOGVS.



Aucis te volo amice Lector. Qui meos libros legerunt, ac in iis varia doctrinæ ac styli genera pro argumentorum diuersitate siue ad Philosophiam, siue ad Theologiam, tum scholasticam, tum positiuã, tum controuersiosam, tum moralem, siue ad Chronologiam, siue ad ius Canonicum & Ciuile, siue ad Rhetoricã, siue ad Poeticã, siue ad Eruditionẽ, siue ad Apologias, siue ad vitas, siue ad Elogia, siue ad Panegyricos, siue ad Genealogia pertinerent expressa inuenerunt, hoc desiderarunt Concionatorum, & Academicorum. quorum nullum extabat vestigium. Petierunt ergo à me vt vellem huiusce item generis scribendi formam aliquam exhibere, vt appareret quid in eo possem. Cum præsertim scirent me olim Conciones ad populum frequenter habuisse, & in cathedris multa Academico more disputasse. Ego qui maximè sum ad nutus studiosorum flexibilis, morem statui gerere petentibus, & quas hic Patauii Lectiones hoc anno publicas habui ad eum modũ concinnatas eas in lucem edere volui, vt hac quoque in parte communi Scholarum bono seruirem. Nihil de ordine, ac methodo detraxi, iusta, & solemnis forma est. Addidi tamen quædam vt locupletiores existerent. Soleo quippe ornare elogiis, emblematis, & epigrammatis, vt spinosum, & austerum Ethicè dicendi genus amœnum & iucundum efficiam: ne adolescentium animi doctrinam fastidiant. Quod bellè quidem cadit, cum ij hisce pigmentis & condimentis allecti auidè confluant, meque summa voluntate, & voluptate audiant. Et quamquam institutum meum fastidiosi quidam, & amusi homines improbarint, ego qui causas improbandi nossem nunquam volui a proposito discedere, vt qui scirẽ oportere dulci vtile commisceri. Tuũ erit, Lector, & legere, & de ijs, quæ legeris ferre iudicium De me vtcunq; existimes, modò sit verum, æquanimiter, imo & libenter in utranq; partem accipiam. Vale.

NOI

NOI REFORMATORI dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore nel libro intitolato *Myrothecium Morale* del Padre Fra Francesco da S. Agost. Macedo Minore Osseruante, non vi esser cosa alcuna contro la S. Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza à Giacomo Cadorino di poterlo stampare, osseruando gl'ordini, &c.

Dat. li 8. Zugno 1675.

(ALVISE PRIVLI Proc. Ref.
(ALVISE MOCENIGO Proc. Ref.
(SILVESTRO VALIER K. Proc. Ref.

Gio. Battista Nicolosi Segr.

FRANCISCVS MARIA DE BONONIA totius Ord. Fratrum Minor. Seraph. P. N. S. Francisci Minister Generalis, & Seruus.

Dilecto Nobis plurimum in Christo R.P. Fratri Francisco à S. Augustino Macedo Prouinciæ nostræ Portugalliæ Regularis Obseruantiæ Alumno, Doctori eximio, omni virtutum genere, & scientiarum ornato. Salutem in Domino, qui est vera salus.

CVM duo ex Ordine nostro Theologi, quibus cõmisimus, opus a Te compositum Myrothecium Morale reuiderint, & iuxta nostras, & Apostolicas Sãctiones approbauerint: Tenore præsentium cùm salutaris Obedientiæ merito facultatem Tibi facimus, quatenus, seruatis cæteris de iure seruandis, illud Typis mandare valeas. In cuius rei testimonium has manu nostra subscriptas, nostroque maiori Sigillo munitas damus. Ex Aracœli de Vrbe die vltimo Iunii 1675.

Fr. Franc. Maria de Bononia Minister Gen.

De Mand. Suæ Pat. Reuerendiss.

Fr. Ægidius de Liburno Ord. Secr.

AMICITIA

An sit Virtus? quanta? qualis?

I. LECTIO

Ad textum Aristotelis Lib. 8. Ethicorum c. 1. initio.

Η Φιλία ἔστι γαρ ἀρετή τις, ἢ μετ' ἀρετῆς.

Amicitia, aut Virtus quædam est, aut cum Virtute coniuncta. Iterum prope finem

οὐ μόνον δὲ ἀναγκαῖον ἐστιν, ἀλλὰ καὶ καλὸν.

Non solum est necessaria, sed & honesta.

DOCVMENTVM PRIMVM.

Ex Lectione.



Micitiam virtutem esse mutua inter amicos beneuolentia. A Deo fonte duci. Illius paradigma Ionathas, & Dauid. Cur Amor pharetratus cum cæcus sit? Amicitia vsque ad aras, tum ob dignitatem, tum ob honestatem. Turpia non sunt ab amicis petenda. Perinde est amicitiam violare, ac temerare altaria. Quanti fieri debeat amicitia, quæ sistit in aris, vltra cineres tendit. Vno actu heroico comprobatur.

CORONIS

Par Amicorum

Ionathas, & Dauid.

Epitaphium Ionathæ. Epigramma Dauidi.

PRæclarè Cicero in Lęlio, *Sine virtute amicitia esse nullo pacto potest*: quam ibi sic definit. *Est omnium diuinarum humanarumque rerum cum beneuolentia & charitate summa consensio*. Mutuus amor constituit amicitiam: itaque Amatio unius, & Radamatio alterius, amicitia est. Ita Aristoteles c.2. lib. 8 ubi distinguit beneuolos ab amicis: quòd beneuolus sit, qui amat alterum sine reciprocatione amoris erga se alterius. Amicus vero ille, qui mutua beneuolentia diligit alterum, & diligitur ab altero, *δεῖ ἄρα εὐνοεῖν ἀλλήλοις, καὶ βούλεσθαι τἀγαθὰ μὴ λανθάνοντας*: *oportet ergo eos mutuò se amare, & velle alterum alteri bona, idque constare*. Eiusdem est Cicero sententiæ in suo Lælio, quam ibi sæpè tradit: ita ut mutua vicissitudine officiorum opus sit ad amicitiam constituendam & declarandam. Cuius diuinum paradigma est Amor ille æternus Dei *Ὁμοούσιος* Patris, & Filii, quem mutuum esse constat in schola, & inter Patres. Ambrosius in Symb. Apost. *Vnus est diligens eum qui ab ipso est: vnus diligens eum, à quo ipse est. Vna est dilectio utriusque Spiritus Sanctus*. Bernardus serm. 8. in Cantica Spiritum Sanctum vocat *Patris & Filij imperturbabilem pacem. Gluten firmum. Indiuiduum amorem: Osculum amborum*. Et serm. 3. de Trin. dicit. *Indiuisibile vinculum Trinitatis*. Hinc apud Sacram Scripturam primo Reg. c. 18. Illa amicitia Dauidis, & Ionathæ conglutinatio animarum appellatur. *Conglutinata est anima Ionathæ animæ Dauid*, ut intima, & mutua vnio significaretur; quæ enim conglutinantur sic adhærent, vt diuidi ægerrimè possint, & vnum è duobus coalescat. Est autem amicitia amor beneuolentiæ, honestus omninò, & purus ex charitate, quæ virtus est; atque adeo Spiritum sapit, non corpus: quare egregiè Donatus

1. Reg. 18.

natus

natus distinxit inter amicum & amatorem, ut amicus sit animæ, amator corporis. Hoc ipsum docet nos locus proximus Scripturæ *Diligebat Ionathas Dauid quasi animam suam*. Secluso corpore, nequis locus sensui esset, imo ne utilitati quidem. Etenim anima alteri animæ vnita nihil ei reapse confert, uti anima corpori, cui vnitur, sed solo amore innectitur, quem complexus significat corporis. Propterea Ionathas amicum Dauidis se professus, *spoliauit* se vestimentis suis, quæ vtilitates & commoda significabant, ut purum ab iis animum demonstraret. Nudum corpus retinuit testatus Amorem. Non poterat animam ostendere, eius locum subiit nudatum corpus, Amoris symbolum, qui nudus, ac cæcus pingitur: adhibuit arcum & sagittas, ut iusta esset imago amoris. Atque hic obseruo: Ionatham cum Dauide opera sagittarum locutum fuisse; iis indiciis vsus est cum eum à patris insidiis liberauit. Nempe docuit officia erga Dauidem sua ab amore proficisci, vnumque Dauidem sibi esse propositum scopum, quò suas omnes curas, actionesque dirigeret.

Ibid.

1. Reg. 18

1. Reg. 20

Verùm quorsum amor cæcus sagittat, & quomodo? cum sit cæcus? Temerè iaciet sagittas. Aberrabit. Minime. Nec enim sagittæ diriguntur ab oculis, sed à corde. Ibi plumescunt, inde procedunt; non enim aberrat affectus. Collimat ad scopum sicut ad centrum. Centrum est in Amico. Quæ ad centrum vadunt cæco modo feruntur, & certo modo truduntur. An lapis, cùm deorsum vergit, oculos habet? uti sagitta emissa ex arcu, magno, & præcipiti impetu fertur, nec tamen aberrat. Imo ne aberrare quidem potest. Cor itaque nouit locum, in quem tendit, ac deuiare ab eo nequit. Equidem video Cor simile esse Centro, ac perinde esse, ac pro centro sumi apud Euangelistam,

Matth. 12

Sic erit filius hominis in corde terræ: ideſt in centro terræ, quò Chriſtus poſt mortem deſcendit: Sicut ergo centrum terræ cor eſt terræ, ita & cor hominis centrum eſt hominis, eò truditur cum amore ducitur. Pondus quippe eſt amor: ſuapte vi ad cor vadit: aberrare nequit: oculis opus non eſt natura duce. Aliter dico, nec opinor ineptè. Sagittæ non collineant ad ſcopum longè poſitum, ſed præſentem, ac intimum, *alterum ſe* qualis eſt amicus; igitur inutiles oculi. In ſe ſagittat, qui amat, cum ad amicum ſagittat; ſemper collimabit. *Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua*, dixit Auguſtinus. Si charitas Deo cor iungit, & qui manet in charitate vnum eſt cum Deo, quomodo ſagittatur charitate, qui adhæret Deo, eaque fit amicus Dei? nimirum illæ ſagittæ ſunt amoris, non tendunt ad ſcopum longinquum, idque ſignificauit Auguſtinus diuini peritus amoris. Concinit Pſaltes *Sagitta tua infixæ ſunt mihi* cum infiguntur emittuntur, & vnde emittuntur, ibi infiguntur, non de nouo iaciuntur: iacent in corde, ibi plumeſcunt, ibi formantur. Feriunt amantem comminus intra amantem. Verbum erat Ionathæ artificis amandi, *Sagitta intra te ſunt*. Quomodo intra, ſi excutiebantur ex arcu? intellige de ſagittis affectuum, quos illæ aliæ ſagittæ ſignificabant. His præteruolantibus illæ manebant intra cor Ionathæ & Dauidis. Non abibant, hærebant, & in ſcopo, & in centro.

Lib. 9. Conf. cap. 2. — Pſ. 37. — 1. Reg. c. 20.

Hæc virtus amoris recta, & pura iubet honeſta, tanquam lex, prohibetque contraria. Pulchrè Cicero: *Hæc prima lex in amicitia ſanciatur vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati*. Et iterum *ut ab amicis honeſta petamus, & amicorum cauſa honeſta faciamus*. Qui ſecus facit amicus non eſt. Phocion Athenienſis roganti Antipatro Principi extero quiddam iniuſtum,

In Lælio.

aptè respondit *Amicus sum*, inquit, *non adulator*. Rutilius Romanus amicum iniqua petentem hac voce reiecit. *Non est officij mei*: cumque alter intulisset, *ergo mihi amicus non es*. Imo, inquit, *Si turpia roges inimicus*: & repudianti alteri suam amicitiam reposuit, *& ego tua libens renuncio*. Præclara vox illa Periclis ad eum qui à se periurium postulabat, *Sum*, inquit, *Amicus vsque ad Aras*, idest non committam ut Aras violem, quas tangebant, qui iurabant.

Plutar. ch. in Apoph. teg.

Idem.

Tango Aras, mediosque ignes, & numina testor.

Virgil. lib. 12.

Itaque Ara limes, & terminus est amicitiæ. Hunc auctorem habuit celeberrima illa Paræmia. *Amicus usque ad Aras*. Quæ verissima est, plena pietatis, plena honestatis. Duplici sensu accipio usque ad Aras. Primum tàm sancta est amicitia, vt vsq; ad Aras sit euehenda, & pro numine in Ara collocanda. Secundum, tam est colenda, vt nemini liceat eam violare, nec deturpare. Deturpabit autem qui turpia, & inhonesta per amicitiam, aut petat, aut impetret. Amicitia tanti est, ut sit habenda in diuinis. Ad hanc Aram Abraham amicus Dei factus est. *Credidit Deo*. iubenti Isaac sacrificare; ubi victimam illum fecit in Ara, Dei amicus esse promeruit. Sic epist. Iacobi 2. *Credidit Abraham Deo*, cùm in Ara ipsa litabat: ibi amicitiam Dei conciliauit. Locus sacrificij locus amicitiæ fuit. Obtulit sacrificiũ, recepit amicitiam, & amicus Dei factus est. Aræ fructus vterq; & amor in filio mactatus in Ara, & amor Dei erga Abraham natus in Ara: in eadẽ Ara, & amor acceptus, & redditus. Trãsiit sacrificium amoris in hostimentum amicitiæ diuinæ. Perinde fuit amicitia, atque altare. Id apparet ex lib. 3. Reg. cap. 2. Iussu Salomonis venerat Banaias ad interficiendum Ioab. Confugerat is ad Tabernaculum, & *tenebat Cornu Altaris*. Deterruit locus sacer Banaiam à cæde.

Plutar. eus cũ Gell. li. 1. c 3.

con-

Consuluit Salomonem ; respondit hic *Interfice eum*, quia occiderat Abner, & Amasam: propterea à Banaia interfectus. Quare Salomon rationem non habuit Altaris, quod immunitatem præstare debuit Ioabo adhærenti? Inquiramus causam, & examinemus culpam. Ea fuit amicitiæ violatio. Occiderat Ioab Abner post amicitiam initam cum Dauide, & pacem ex ea ortam. *Faciamus amicitias* 2 lib.Reg.cap.1.n.12. & 13. *& abiit in pace* n.23.& 14 Confirmauerat amicitiam cõuiuium Dauidis cum Abnere. Interfecerat autem Amasam. 2 Reg. 20 nu.8. specie amicitię. *Salue mi frater, & quasi osculans eum*. Dum ergo Ioab læsit amicitiam, violauit Altare, non poterat igitur eum Altare liberare. Non oportebat gaudere immunitate Altaris eum, qui immunitate barbara in Aram amicitiæ sæuierat. Perinde est Ara ac amicitia, læsisti amicitiam, sustulisti Aram. Repetita est à Ioabo pęna congrua culpæ. Iugulauerat fidem in Ara, non ei prodesse potuit quæ inerat in Ara fides. Obseruauit hoc Nicol. de Lyra in hũc locũ 3. Reg. 2. Ioab *proditorie per simulatiõnẽ pacis, & amicitia Abner, & Amasam interfecit*.

Lyra.

Vt maius sit huius rationis pondus, ponderandum est, quòd in cap. 1. huius lib. 3, Reg. n. 51. & 52. narratur Adonias rebellis Salomoni cum Regnum affectasset immunis fuisse, quòd *tenuit Cornu Altaris*. Eò quippe confugerat Adonias, cum imminerent Satellites, ut mortem euitaret. *Tenuit Cornu Altaris*: idque deterruit interfecturos, & Rex Salomon nouit, & ignouit, *Si fuerit Vir bonus, non cadet*, &c. Euasit ergo Adonias, gauisus est immunitate Altaris, cum perduellis esset, & reus læsæ maiestatis. Pendamus crimina. Grauius erat crimen Adoniæ, quàm Ioabi. Is sustulerat priuatos, odio priuato, & nihil aduersus maiestatem sui Regis admiserat. Adonias tyrannidem affectarat, ac

læſæ maieſtatis crimen patrauerat. Cur ergo hic tenẽs Cornu Altaris euadit, ille perit? Aut vterq; damnetur, aut vterq; liberetur. Minimè. Etenim Ioab multò grauius deliquit violando amicitiã, quàm Adonias inuadendo Regnũ: cum hic perduellis intra humanos terminos peccauerit: ille homicida vltra eos deliquerit, & ſacrilegium commiſerit. Erat Adoniæ culpa humana intra hominem, quantumuis Regem: erat culpa Ioabi maior humana, quia humanos terminos tranſgreſſa ad Aram peruenerat, & Altare amicitiæ violauerat, atque adeo crimen læſæ Diuinæ maieſtatis admiſerat. Ac propterea fortaſſe Ioab non fuit vſus obtentu Altaris, quod tenebat ad euitandam mortem, cum poſſet obiicere ſe in loco ſacro immunitate gaudere, agnouit enim ſibi minime profecturam defenſionem eſſe, conſiderauit quippe à ſe violatum eſſe Altare amicitiæ: ac proinde indignum ſe immunitate Altaris reddidiſſe, & quamquam memor exempli Adoniæ, cui antè fuerat data immunitas, eo uti noluit, quòd videret Adoniæ profuturum quòd non violauerat Altare, ſibi non profuturum, quòd ipſum Altare violauerat. Non poſſum, inquit, obtinere impunitatem, qui læſi Aræ immunitatem, ac in ea Dei maieſtatem. Repetamus verba Lyræ: *Ioab proditoriè per ſimulationem pacis, & amicitiæ Abner, & Amaſam interfecit*, & diſcrimen inter Adoniam, & Ioabum apparebit. Lyra

Tanti fit à Deo amicitia, vt qua die omnia ſua pro mundi redemptione liberaliſſimè dedit, largitor, & amator profuſus, & prodigus, tradito corpore percuſſoribus, relictis veſtibus militibus, effuſo ſanguine, uſque ad vltimam aquæ guttam pro hominibus, anima Patri redita, corpore ſepulcro addicto, vnam amicitiam retinere voluerit, eamque inſtar cupidi, & auari,

vt ita dicam, ab eo cui pignori dederat repetiuerit, vt amicitiæ pretium indicaret. Quorsum enim, quæso, Christus initio suæ passionis à Iuda osculante, *Osculatus est eum*. osculum accepit? nisi quod noluit vt remaneret apud proditorem signum amicitiæ osculo significatæ, egitque vt sibi restitueretur, tanti eam æstimabat; nec legimus in Euangelio osculatum Dominum Iudam fuisse, ne videretur reddidisse osculum violatori amicitiæ; repetiuit osculum, & redditum retinuit, nec reposuit aliud, ut significaret eam osculationem Iudæ esse restitutionem, non salutationem.

Marci 14

Matth. 26

Propterea amicum appellauit *Amice ad quid venisti?* exprobans ei violationem amicitiæ, & monẽs ut sibi redderet pignus amicitiæ per osculum. Erat illa gemma pretiosa, quam vel à Proditore recuperauit, nec reiecit osculum, quod erat instrumentum recuperandi. Id aliàs alio exemplo ostendit, cum dixit Apostolis, ut salutarent eos, ad quos mittebantur illis verbis *Pax vobis* amicitiæ gratia, monens, si reciperentur, mansuram amicitiam apud amicos, qui eos recepissent; sin autem ad eosdem datam pacem esse reuersuram, *Ad vos reuertetur*. Cur reuertetur? semel data Pax repeti non debebat. Quid opus eam reuocare? Nimirum ob pretium: nolebat illam pacem, & amicitiam apud iniquos, & ingratos. Porci erant: apud quos margarita illa esse non poterat, propterea iubet eam repeti, & reuocari.

Luc. 10.

Sed nihil altiùs exaggerat amicitiæ dignitatem, quàm illud Christi exemplum in eodem die passionis suæ exhibitum, quod sanè est admirabile. Omnia illo die rupta, & lacerata, discerpta, & dissipata sunt, in argumentum doloris. Saxa collisa, monumenta rupta, & patefacta, terra conuulsa, & auulsa, velum Templi scissum in partes, Cœlum discors, & turbatum,

Sol à se deficiens obscuratus; ipsemet Christus à Patre derelictus, anima à corpore separata, omnia elementa inter se pugnantia, & Mundi quodammodo machina dissoluta. Vna tamen Amicitia conciliata, & inimicitiæ dissolutæ, Virtute passionis. Itaque obseruandum: ea die remisso Christo à Pilato ad Herodem, inter eos, qui antea inimici erant ad inuicem amicitiam coaluisse, *Facti sunt amici Herodes, & Pilatus in illa die*, hoc est in illa die, qua cætera omnia discrepabant. Mirum: sola amicitia prerogatiuam tulit concordiæ, vt per illam reliqua omnia supplerentur, quasi ad opus redemptionis amicitia pertineret, & quo sanguine Mundi peccata delebantur eodem amicitia irrigaretur, eamque Christus inter fructus sui sanguinis numeraret. Et quidem amicitia illa inter Pilatum, & Herodem pacem populo afferebat, nam cùm Principes essent, dissensiones inimici, consensiones amici faciebant. Itaque iis conciliatis pax communis existebat. Hic autem scopus, proprius effectus fuit passionis Christi, qui nos Deo reconciliauit. Istius igitur pacis hominum cum Deo, signum fuit illa inter Pilatum, & Herodem facta amicitia, ut sicut illi inter se sunt reconciliati, ita & per Christi sanguinem homines Deo reconciliandi essent. Pertinuit igitur amicitia Herodis, & Pilati ad mysterium, & gloriam Passionis.

Matth. 19

Lucæ 23

Aliunde item constat amicitiæ præstantia. Sacram duxerunt prisci Romani, & inuiolabilem esse voluerunt, ne à fæditate, aut turpitudine contaminaretur. Nefariam vocem appellat Cicero eam, qua Blosius Cumanus amicus Tiberii Gracchi inimici patriæ pronunciauit, amicitiam turpandam esse, si amicus turpare vellet, eamq; sacris Aris esse præponendã. Interrogantibus enim eum Iudicibus, quãtum tribueret ami-

In Lælio.

citiæ Tiberii perduellis? petulanter respondit, eam se Altaribus anteponere, atque adeo paratum esse sese Capitolium incendere, si Tiberius eò conferre faces imperasset. Vbi exclamat Lælius apud Tullium: *Videtis, quam nefaria vox?* Quanto melius Cato! *à quo* eodem auctore Tullio *rem improbam petere nemo, vel amicissimus audebat*. Et vero amicitia virtus est, quæ omnes continet in officio: sacra, & Aræ amans. Qui locus debetur amicitiæ propter sanctitatem. Rem continet locus ille Regum lib. 1. cap. 5. Ceperunt Philistæi arcam Domini, & intulerunt eam in templum suum, & posuerunt eam in Altari prope Dagon Deum suum *iuxta Dagon*. Arca illa erat testamenti, & fœderis, symbolum pacis, & amicitiæ, propterea in tabernaculo fęderis constituta, & ipsa continens fœdus. Philistæi ergo, quamquam homines Ethnici, intellexerunt diuinos eam honores mereri. Quid tamen inde sit secutum obseruo. Arca illa noluit simul esse cum Idolo Dagon, spreta illius societate, ceu indignaretur. Deiecit continuò Dagonem de Altari, & totum Altare sola occupauit. Quare? quia ferre non potuit turpitudinem Idoli vicini, à quo procul aberat propter illibatam sanctitatem. Dagon figurabat turpitudinem, quam amicitia repudiabat, quæ socia virtutis est, non vitij. Nemo amicitiam inhonestis misceat, nec inuoluat. Ex his apparet quanta sit, & quanti æstimanda sit virtus amicitiæ.

Cato.

1. Reg. 5.

Qualis verò ea virtus sit tradit Aristoteles, qui ad iustitiam reducit, imo & iustitiæ anteponit. Et quidem versatur ea in proportione, & redditione amoris reciproco ductu redeuntis, ac respicit æquitatem, & inducit æqualitatem redamationis. Quæ sane sapiunt iustitiam. Itaque Aristoteles cap. 1. lib. 8. Ethic. καὶ τῶν δικαίων τὸ μάλιστα φιλικὸν εἶναι δοκεῖ. *Omnium iurium*

ma-

maximum videtur esse amicitia. Idem apud Tullium docet Lælius, dum in hac amatione, & redamatione constituit amicitiam, & vicissitudinem quamdam amoris reciproci introducit: & in primis illud. *Amicus*, inquit, *accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum amor, siue amicitia exardescit*. Debet igitur amare quem amat, & redamari ab amato, ita ut intercedat amatio vnius, & radamatio alterius, cum proportione, & æqualitate amoris, quod pertinet ad iustitiam. Tullius

Verùm erit qui obüciat aduersus hanc doctrinam proximum paradigma petitum ex amicitia Ionathæ, & Dauidis, quæ cum esset perfectissima non videtur tamen ex mutuo amore composita. Tota enim ratio amandi Ionathæ attribuitur: *Diligebat Ionathas Dauidem*, non contrà. Quin totum illud caput 18. & 20. Spirat amorem Ionathæ erga Dauidem, & ibi numerantur eius in Dauidem officia, & beneficia. Omnia proficiscuntur à Ionatha, nulla recipiuntur. De amatione itaque Ionathæ erga Dauidem constat, de redamatione autem Dauidis erga Ionatham, ne verbum quidem inuenitur. Legat textum qui volet, semper amare, & diligere dicitur Ionathas.

Respondeo primùm. Dauidi priuato & clienti non licuisse, imò ne fuisse quidem, quod donaret Ionathę Principi, & Domino; nec Princeps pateretur; verùm mortuo Ionatha multa Dauidem in eum defunctum, & in eius filiū, officia contulisse, itaut persona filii accipientis Patrem Ionatham repræsentaret, qui in filio viuebat. Accepit ergo Ionathas à Dauide obsequia in filio. Lib. 2. Reg cap. 9. dixit Dauid. *Est aliquis, qui remanserit de Domo Saul vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* Et mox. *Superest*, inquit Siba, *Filius Ionathę, tunc misit Rex, & tulit eum*. subiungit. *Propter Ionatham Patrem tuum restituam tibi omnes agros Saul*

 Patris

Patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper. Tandem. *Omnia quæcumque fuerunt Saul, & vniuersam domum eius dedi filio Domini tui*. Prætereà ille planctus super
Lib. 2. mortuo Saule, & Ionatha cap. 1. lib. 2. Reg. Plenus est
Reg. magnis, & miris affectibus, quibus illud caput halat,
c. 1. & ardet. Audi Dauidem. *Doleo super te, Frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorẽ mulierum; sicut mater vnicum amat filium suum ita ego te diligebam*, quæ certè tenerrima sunt, & lacrymas eliciunt legentibus. Eo sanè maximè commendatur Dauidis amor, quòd post cineres vixit, cùm Ionathas iam nullus erat. Frigebat Ionathas, & Dauid eo frigente ardebat. Amauit ergo Dauid ultra cineres, & cineri ingrato præstitit officia, quod rarum est, & heroicum. Addo iusta persoluta, & totum sepulturæ officium, quod narratur cap. 21. lib. 2. Reg. quod sane fuit plenum honestatis, plenum pietatis, ut nihil prætermissum fuerit erga ossa nuda, & exanguia à Dauide Ionathæ amantissimo.

Secundum non defuisse viuente Ionatha Dauidi erga ipsum redamationis officia. Extat illud illustre, ac euidens cap. 20. lib. 1. Reg. n. 42. nam in illo extremo discessu. *Osculantes*, inquit scriptura, *se alterutrum, fleuerunt pariter. Dauid autem amplius*, eo monstrauit Dauid ardentiùs amare Ionatham, cum eo largiùs fleuerit. Sunt quippe lacrymæ indices cordis, ubi est fons amoris. Donauit ergo Dauid Ionathæ cor suum per lacrymas dilutum, & dum fletu vicit, amando superauit. Iudæi, Ioannis xi. amari Lazarum à Christo, ex lacrymis intellexerunt cum eum flentẽ ad sepulcrum
Gen. viderunt. *Ecce quomodo amabat eum*. His lacrymis te-
29 status est Iacob amorem suum erga Rachelem cùm eam primum ad puteum venientem vidit *eleuata voce fleuit*. Pauper adolescens solo amore diues, fletu

vsus

vsus est ad testandum affectum cordis, & satis donauit, cum cor donauit liquefactum amore. Haud secus Dauid amplius plorans vna vice plus donauit, quam multis acceperat à Ionatha. Egit heroicè Dauid; actus quippe Heroicus multis aliis minoribus æquiualet. Apto rem exemplo demonstro. Marcus Antonius exardescēs amore Cleopatræ multa, & mira donauit. Extant largitionis effusissimæ exempla: narrant ea Scriptores; quæ tanta sunt vt excedant fidem. Perpetua conuiuia lautissima thesauros Antonij exhauriebant. Et ille gloriabundus circunfluens gloria amorem suum exaggerabat. Dissimulabat Cleopatra futuri certa consilii, ac ut Antonii iactantiam reprimeret, & amorem suum ostenderet, eum semel inuitauit ad cęnam, quæ cùm parca fuisset, festiuius & hilariùs agebat Antonius, quasi victor de amore Cleopatræ triumpharet. Hæc apposita secunda mensa pateram auream aceto infuso postulauit, & detracta inaure, vnionem ea inclusum exclusit, & apprehendit digitis, & in pateram coniectum manu sua diluit, dilutumque Antonio propinauit. Bibit ille. Vix hauserat cum Regina subridens. *Magnus*, inquit, *Antoni potator es, qui vnico haustu Regnum bibisti*, tanti erat vnio. Quo audito Antonius obstupuit, & erubuit, & se victum esse clamauit. Ab Heroina Regina heroicum factum. Simile quidam, nobilius tamen fecerat Dauid, & honestius, cum largius plorans, cordis sui gemmam lacrymis liquefactam Ionathæ amico Principi porrexit.

Plutarch. in vita Antonij.



CO-

CORONIS
EPITAPHIVM IONATHÆ
Mediis Manibus

S.
H. S. E.

1.Reg. 14 
Onathas Regius Iuuenis, Flos, & spes Iudaici Regni. Aulæ lumen: Belli fulmen. Ciuium amor. Hostium terror. Patris regnantis mens: bellantis brachium. Solus ac repens inter rupes Philisthæos è statione deiecit: in prærupto rupe constantior. Legis lä-
Ibid. tę inscius: non violatæ reus. Sorte morti addictus; votis populi liber redditus: Bellicosi vir gustùs, fanum in telum transtulit: acerbus mellis prælibator: quod non gustasset nisi à ferro amarities inesset. Ami-
C.18. cus Dauidis. Hunc pro anima habuit; vixit anima
C.19. vna: duplici amauit. Vt simul cum amico esset simultates cum Patre gessit: vt augeret amorem, odiū
C.18. paternum in se vertit, & ab amico auertit. Nudauit se vt Dauidem vestiret, & amorem se prodidit: non tamen velauit faciem, quòd non poduit amicitię: nec
C.20. eruit oculos, vt essent in Amore Duces. Plus de Dauide quàm de se habuit; & quidquid habuit contulit
C.23. in Dauidem. Amicus esse maluit, quàm Rex. Primus amicitiam prætulit Regno. Satius duxit amare, quàm imperare. Sagittandi peritus: certus amandi;

vno

vno contentus Arcu, sceptrum abiecit. Sagittis mortem hostibus intulit, amico vitam attulit. Hinc Dauidis postea Regnantis præceptum: *vt docerent Filios Iuda Arcum*, qui Amorem discerent: & Ionatham imitarentur. Amicos in acie, quàm milites maluit. Nunquam, nusquam tutus Ionathas periclitante Dauide: nec ab eo recessit; dum in tutum non recessit. Eo saluo ad Patrem rediit deuotus morti. In funesto ad Gelboe prælio honestè occubuit, recuperata prius, quam Dauidi donauerat, anima: vt qui dimidius vixerat integer moreretur: ac ne quid in se Dauidis periret. Cecidit in montibus, ne in humili iaceret. Caruit vrna, vt nobiliùs Cœlo tegeretur. Nec illius Manes, donec corpus sepultum est à Dauide, quieuerunt. Redamatus à Dauide Ionathas instar dilecti *vnici à Matre Filij. Super amorem mulierum*, idest, plus, quam mulieres solent vel amari, vel amare.

Ca. Lib. 2. Reg. c. 1.
1. Reg. c. 23.
1. Reg. c. 31.
2. Reg. cap. 1.
2. Reg. cap 21.
2. Reg. cap. 1.
Abulēs.

Huius amoris ergò, Dauid
Amico, suæ Dimidio
Animæ
Flendo deflendus ipse
H. M. P.



EPI-

EPIGRAMMA.

Cedere qui Ionathæ Dauidem sibi finxit amore,
  Nulla quòd in Ionathan dona profecta videt:

Fallitur. Haud etenim Domino donare licebat;
  Plus tamen edocuit reddere verus amor.

Largius illacrymans Dauid testatus amorem est;
  Dilutum Ionathæ Cor dedit ille suum.

Nec satis est: Ionathan post facta amplexus amorē
  Persoluit iusti funeris officium.

Insuper & gnatum Ionathæ sibi iunxit amicum;
  Regia cui Saulii iura, domumque dedit.

Ante obitum Ionathas, Dauid post funus amauit;
  Hic amor est animæ, corporis ille fuit.

Ardeat vt nimium præsens amor, amplius ille
  Post gelidos cineres qui calēt, ardet Amor.



LECTIO SECVNDA.

De necessitate amicitiæ

Ad Textum Aristotelis lib. 8. de amicitia cap. 1. initio.

Η Φιλία ἐστι δ' ἀναγκαιότατον εἰς τὸν βίον.

Amicitia est etiam maximè necessaria ad vitam.

ἄνευ γὰρ φίλων οὐδεὶς ἂν ἕλοιτο τὸ ζῆν ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα.

Sinè amicis enim nemo optet viuere, etsi reliqua omnia bona habeat.

DOCVMENTVM SECVNDVM.



Mnia coagmentari, & contineri amicitia, Mundum, Rempublicam. Deum ipsum necessario se amare. Hominem ex vnione partium consurgere. Solitarium bonũ non esse, sicut corpus viuit ex anima, ita amicũ ex amico, cuius est animæ dimidiũ viuere. Amicos perinde esse ac necessarios. Monstrũ haberi qui amore caret. Ægrotare animã, quæ amicis destituitur. Amicitiam vitalem vitam iuxta Ennium, conferre amico, cum anima corpori vitam mortalem tribuat.

MVndus coalescit ex amicabili partium consortio coeuntibus in vnum elementis partim diuersis ad communem vsum, partim similibus ad mutuam societatem. Ità se continent, & Rempublicam

continent, quæ ex similibus & dissimilibus componitur ciuibus, natura propinquis: officiis, & studiis alienis. In Cęlo luminaria duo amica vicissitudine, diem, & noctem distinguunt, & ordinant tempora. Stellæ tamquam lucidi claui Firmamentum sustinent. Planetę certi, errātes amicitias dirigunt, & suis aspectibus & afflatibus ad sympathiā afficiunt animos, eosdemque per antipathiam separant, ac ipsi mutuo inter se & amant, & pugnant. Iuppiter præter unum Martem ceteros amicos habet; Venus reliquos excepto Saturno. Sic hac in parte innocēs Astrologia. Certiora, & altiora quærimus. Deus ipse, cum sit necessariò vnus, solitarius esse non potuit. Intra personas amorem habet, & quidem mutuum, à spiratione reciproca, quæ in humanis est item ratio amicitiæ. Miror quomodo Hebræi Deo personas negent, quem sibi amicum esse iactabant? Perperam priuant amicitia intra se Deum, & extra amantem ponunt. Solus est quòd vnus sit Deus, at non solitarius quòd in eo sint tres Personæ. Vnus est, non tamen sterilis, qualem Mahomettus finxit. Hominem ad imaginem suam compegit compositum ex anima, & corpore, materia & forma, intimo nexu amicæ vnionis copulatis. Id mirabile. Suscepit Hominem non Angelum, qui simplex est spiritus, & partiū societatem excludit, sublato amicitiæ vinculo quod in homine adamauit. Iam verò si Angeli omnes inter se sunt specie differentes, quod ait Doctor Angelicus, eos fortasse noluit apprehendere, quòd dissipatos inuenit. Similes inter se apprehendit homines, similes natura, & aptos amori, & quidem amicitiæ, quæ redditur à simili redamāte amantem. Nec solùm permisit hominem esse; duplicauit sexus viri, & feminę, vt duplicaret amorem: eòque vehementius amauit, quòd symbolum suæ, cum ipsamet humana-

na-

natura coniunctionis permistio illa sexus magno Sacramento erat futura. Desponsabat iam tunc sibi Ecclesiam, quærebat Sacramentum in matrimonio. Necessaria fuit illa societas viri, & feminæ ad ferendum, & afferendum genus humanum. *Vide* quanta sit vis amicitię! ea homines peperit, ea coniunxit, ea coniunctos Deo cõnexuit, ea Deum illis copulauit. Transierunt in membra Christi. Equidem haud scio, an unquã Angelos amicos suos dixerit. Scio homines passim amicos suos appellasse, idest *necessarios*, quo vocabulo appellat Cicero amicos, perinde ac consanguineos eiusdem sanguinis. Ita in Lælio. Hac item ratione necessarium habemus Deum, & amicum, & consanguineum, & ille nos habet necessarios.

Veniamus ad Aristotelicum sensum *Amicitia*, in quit, *res est maxime necessaria, nemo enim sine amicis optet viuere.* Nemo sine se ipso viuit. Amicus est alter Ego. Nemo igitur sine amico viuit. Quod bonum non est, id à Deo fieri nequit secundum illud Geneseos cap. 2. *Non est bonum hominem esse solum.* Perinde est solum esse, ac non esse. Finge tibi quæcumque velis bona, Desit amicus bona non sunt. Pergit Aristoteles. *Etiam si cæterorum bonorum copia circunfluat. Nam etiam ij, qui diuitiis, Imperiis, potentia præstant, opem, & operam amicorum vehementer desiderant.* Commentari hoc mihi videtur elegantissimus philosophorum in Lælio. *Si quid tale posset contingere, vt aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine vspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat abundantiam, & copiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet, quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferret posset? utique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo?* Talis erat Adam in Paradiso. Præerat mundo: imperabat elementis, abundabat deliciis, circunfluebat glo

Arist. c. 1 l. 8.

Idem.

Cicero.

ria, fruebatur Cæli, Planetarum Syderumque pulcritudine, alludebant ei animantes accinebant Aves, arridebant flores applaudebāt fontes, & Riuuli abblandiebantur, nec sibi tamen proderat, nec placebat, imo ne ipsimet quidem Deo, qui eum condiderat placuit, quia carebat comite, qui eum sociaret, & iuuaret ad vitam ducendam. Degebat vitam more feræ stipatus feris, bestiisque permistus. Ferre hanc speciem Deus non potuit, & qui cuncta fecerat bona, & dixerat, 1 solum hominem, quatenus solus erat, in bonis non duxit. *Non est bonum hominem esse solum.* Ergo adhibuit sociam similem sibi feminam, & Adiutorium nuncupauit. Adiutorium simile sibi. Vsus verbo *Faciamus.* quod verbum, prius cap. 1. vsurpauerat, cum condidit hominem, quasi de nouo, cum sociam ei, & amicam dedit, condidisset. Tunc bonus euasit, & malis caruit. Tunc Paradiso frui cæpit, cum cæpit amare, & redamari. Erat antea in Paradiso sicuti vagus, & Peregrinus. Incola non erat: tunc habitauit, & incoluit, cum habuit comitem Euam. Propterea Deus dicitur *Ædificasse mulierem*. Gen. 2. n. 21. quasi domum fabricaret antea peregrinanti. Ex latere autem eam formauit, non ex capite aut ex pectore, aut ex tergo, aut ex pedibus, sed ex latere, ut amicam fore significaret; amici quippe lateri adhærent, & laterales appellantur.

Ignorabat hanc doctrinam Timon ille Atheniensis
Cicero. quem Cicero reprehendit in Lælio qui congressus hominum tamquam fera, bestiaque siluestris fugiebat, cuius est illa inhumana vox apud Lucianum *Ædificabo Turriculam soli mihi sufficientem nemini miscebor, neminem nouero omnes despiciam. Si quem tandem videro infausta sit dies: nomen mihi iucundissimum sit μισάνθρωπος. Osor hominum.* Num homo iste Timon, Timor potius appelle-

tur,

tur, qui omnes fugiat, nusquam constitat: quemadmodum Cain, qui viuus fuit metus. Cui formido pro anima erat. *Eiiciendus à facie terræ.* Terræ filius humandus, quòd inhumanus Hominum hic lusus, & ludus: forte Turricula oblectabatur, quæ ad ludum pertinet. Noctua Athenienſis, non Ciuis, lucifuga, & transfuga. Gen.4.
An Cornix Virgiliana?

Quæ sola in sicca secum spatiatur arena.

Osor hominum, tales ſunt colubri; esto Timon ſine temone, præceps imo Temo, pro longurio, ſiue ſtipite: plane trunco. Diem oderat, qui ſolem fugiebat, quia Sol & homo generant hominem. Deus ædificauit Euam ex homine, ut doceret & firmaret ſocietatem humanam, hic ædificabat vt tolleret. Eo tamen ſenſu bene ędificare uult in ſolitudine, ut ſolus eſſet inſtar cadaueris in ſepulcrum inferendus: nam qui in ſolitudine viuit, obiit, in ſepulcrum ſe condit, tumulatur. Sumamus hoc verbum ædificare, & nomen ſolitudo ea qua ſumpſit ſignificatione Sanctus Iob., cum dixit cap.3. *Qui ædificant ſibi ſolitudines*, ideſt aperiunt ſepulturas, quemadmodum exponunt Interpretes: perinde eſt enim viuere ſolitarium, ac ſepeliri. Cur Abraham mortua Sara emit duplicem ſepulturam in ſpelunca duplici apertam? Gen.cap.33. Si vna Sara, & ſola mortua erat, & tumulanda, vna ei ſpelunca ſatis erat. Quorſum ergo illa altera ſpelunca, & alia ſepultura? Nempe vidit Abraham imminere ſibi ſolitudinem adempta cariſſima coniuge, & mortem impendentem timuit, perſuaſit ſibi ſi ſolus deinceps victurus eſſet, eſſe moriturum; itaque pro mortuo ſe habuit, & in duplici ſpelunca duas ſepulturas parauit, vnam Saræ iam mortuæ, alteram ſibi mox morituro, in quam etiam viuus quòd viduus, intraret, ſolitarius enim futurus, perinde erat, ac mortuus. Ædificauit ſibi Iob 3.

ſe-

sepulturam dum præuidit solitudinem, quod nihil interesse putabat inter vtranque. Itaque solitudo Iobi cum sepultura Abraham consentit.

Eiusdem sententiæ fuit Elias, ille vasti animi vir, ille
Reg. 3. eremi cultor, ille intrepidus, terror aulę, populi stu-
19 por, animatus ignis, qui claudebat Cælum, & reserabat, ille tonans, ille fulminator, simul ac se vidit eiectum ex hominũ cætu, priuatum societate, destitutum amicis, in Eremum redactus, solitudinis impotens, sub ter Iuniperum infaustam arborem se proiecit, & morti deuotus *Petiuit anima sua vt moreretur.* Quare consternatus Elias tantus vir? Erat in deserto, sed non derelictus, pascebatur enim à enim à Deo, qui eius curam susceperat. Terror solitudinis exanimauit Eliam: existimauit se mortuum, & vbi vidit Coruos, timuit ne cadauer fieret, quamquam hi uenirent ad eum alendum, ille deceptus opinione credidit adesse ad se comedendum, de sepulcro cogitauit, ac in eorum ventre sibi parari illud exstimauit. *Petiuit ergo animę suæ vt moreretur.* Cur tamen hoc petiuit ab anima, quia cum amicitiam, & societatem amisisset, quæ vita est animæ, consequens erat *vt anima* à corpore recederet, quod animare exanimata non poterat.

Nec libera est coniectura. Tàm est necessaria ad vitam ducendam amicitia amico, quàm anima corpori. Amicus est loco animæ amico. Hoc nos docet sacer textus 1. Reg. c. 18. vbi narratur initium amicitiæ Ionathæ, & Dauidis, quæ summa fuit. *Conglutinata*
1. Reg. *est*, inquit, *anima Ionathę animæ Dauidis*. Et rursùs *Di-*
18 *ligebat Ionathas Dauid, quasi animam suam.* Ecce vnio animæ ad animam, & quidem arctissima. Quorsum? Vt viuerent amicè, virtute vnius animæ nouę, quę nouam conferebat vitam: nec enim satis erat vita corporis, quam præbebat corpori anima vnita corpori: opus

enim

enim erat alia anima, quæ animaret animam. Hæc erat virtus amicitiæ, per quam vita communicatur amico. Duæ igitur erant in amicis vitæ, vna personæ, altera amici. Vita personæ proueniebat ab vnione animæ ad corpus: vita amici ab vnione animæ ad animam, sine qua non potest vita consistere. Eo præstantius, quod anima compositi humani dat, non recipit vitam à corpore, quod animat, & informat. At vero animæ amicorum nexu amicitiæ mutuò se animāt, & informant, & reciproco anhelitu continentur: itque, reditque vias, reciprocante ductu amicitia. *Conglutinata anima Ionathæ animæ Dauidis* efficiebat, vt mutuo amore, quem exigit amicitia vtraque, & amaret, & amaretur. Erat amatio, & redamatio, vna in alteram influebat, & iterum refluxu quodam redeuntis æstus amoris, redibat animatio repetita iure vitali: altera alteram formabat, & animabat, & quod vtraque acceperat reddebat.

Confirmatur ista necessitas, quia nemo viuere potest dimidius. Amicus autem est *dimidium animæ*, vti ait Horatius, & abijt in paræmiam: igitur nemo potest sine amico viuere. Quinetiam cum amicus sit *Alter ego*, cum moriēte amico moritur, & cū viuente viuit. Vita amicorum conuiuium quidē est vitæ, non victus. Conuiuunt amici, & vnà viuunt. Commune est apud Parcas filum, illa in colu colitur amor, & in media morte opus est amicitia, ut sit suaue mori. Præsens amicus solatium affert, & transfert in se animam morituri amici. Hinc illa pia consuetudo legendi si quis errabat halitus in sinu moribundi, de qua Virgilius. Ode 3 l. 1.

Si quis super halitus errat Æneid. 4

Ore legam.

Extremum colligebat amicus, & per osculum eliciebat, & condebat in sinum, quasi animæ vrnam, extra

cine-

cineres tamen. Ità mors optabilis, & facilis! non difficilis nec iniucunda. Adeò necessarius est amicus, ut etiam in morte sit utilis: animam pelliciendo ad exitum, non extorquendo. Caruit hac felicitate Saul, vel mori volens: incubuerat hastæ, & alto transfixus
1.Reg. cap.1. vulnere efflare animam in eo fortunæ reflatu non poterat. Dolebat, querebatur adhuc *animam in se esse*. Vnde tanta difficultas? Non aderant qui exciperent dulces,& cari amici. Luctabatur cum inimica morte. Fortasse pœnas dabat amicitiæ, quam eadem cui incumbebat hasta in Dauidem amicum olim suum intorta violauerat.

In Lælio. Amicorum coniunctio efficit vitam vitalem, vt ait Ennius apud Tullium. Solitudo mortalem spirat vitam. Res est notatu digna, quam tradit Sacer textus lib.4. Reg.cap.4. Impetrauerat Samuel à Deo Filium mulieri Sunamitidi, qui paulo post obiit. Cita mater venit ad Prophetam: petit, vt vitæ restituat. Annuit ille, misitque cum baculo suo Giezi discipulum, ut tactu suscitaret. Frustra:nec enim ille surrexit. Itaque coactus est Samuel eò proficisci. Ingressus domum inuenit puerum iacentem in lectulo,in quem ascendit *& incubuit super puerum, & incuruauit se super eum, & & calefacta est caro pueri &c. Oscitauit puer septies,& aperuit oculos.* Tandem *surrexit.* Pendamus euentum. Baculus nihil profuit ad vitam, quia ad abigendum potius aptus erat,quam ad vocandum, ad separandum quam copulandum. Indicabat solitudinem, & dissensionem. At vero illa coniunctio, & societas Prophetæ cum puero sese illi imprimentis,& insinuantis significabat amorem animæ influentis. & afferentis mortuo vitam, quam præferebat, & præstabat. Vitalis illa fuit coniunctio, & vitam restituit mortuo. Surrexit. Tribuit vitam amico inspirans halitum vitalē, non baculo

lo pulsanti, & percutienti, & vitam abigenti. Nouerat hoc Elias, qui antea 3. Reg. 17 eadem ratione suscitauerat puerum defunctum: positum enim in lectulo fouit, & recreauit *expandens se super puerum*, qui calefactus amore Prophetæ reuixit. Non vsus baculo duro & arido ligno, dissociãdi, & separandi instrumento, & suauitate amicitiæ vitam vitalem impartiuit. Didicit à magistro Eliseus, coniunctione, & amore usus ad mortuum suscitandum. Glossa Moralis obseruat puerum reuixisse amicabili societate infuso in artus calore Prophetæ, qui vitæ instrumentum vitale fuit. Idem perspicuè dicit Abulensis in hunc locum lib. 4. Reg. cap. 4. quæst. 51. & 52 dum ait. Calefactionem corporis pueri fuisse causam resurrections. *Volebat*, inquit, *calefacere, vt puer viueret*. Igitur animæ per calorem infusum puero, & amicitiæ, resurrectio tribuenda. Abul.

Claudat hoc documentum de amicitiæ necessitate. Quod ipsemet Christus carere amico noluit, tam est sancta illa illa societas. Familiari vsus est Ioanne Euangelista, *quem diligebat Iesus* intimum amicum, ceu alterum se, quod inde patet, quòd eum sui loco B. V. Matri reliquit. *Ecce filius tuus*. Eum in sinu collocauit in Cęna. *Erat recumbens in sinu Iesu*, quemadmodum ille erat in sinu Patris in Cœlo. Ex hac societate Ioannes, quasi in alterum Iesum transiit, in quam rem animaduerto Apoc. cap. 19. dici nomen Verbi ignotum esse cuiquam, & ipsi soli notum, *quod nemo nouit nisi ipse*, nihilominus paulò post Ioannes agnoscit nomen eiusdem, & prodit. *Quod est*, inquit, *Verbum Dei*. Rem miram! quomodo nouit Ioannes nomen vetitum aliis, & soli notum Verbo? Videlicet quia amicus Verbi, perinde erat, ac Verbum transformatus per amorem, instar erat Iesu. Sustulerat discrimen amor Ioan. 19 Ioan. 13

mirabili amicitiæ virtute interueniente, quod solius Verbi proprium erat, Ioanni fuit attributum.

CORONIS

PAR AMICORVM
Hercules,& Theſeus.

Monſtrorum vterq; domitor, & monſtrum amicitiæ
Vltra monſtra.
Horum virtus,quòd mira fuit, fabula fuit:
Eamque ſola fabula ęquare potuit.
Quin & ipſa omnibus maior fabulis.
Confectis monſtris ſuperis aggreſſi Inferna, etiam
Cum Manibus conſeruerunt manus:
Et vmbrarum in loco micuerunt.
Nihil in ijs fuit vmbratile.
In Sole,ac puluere verſati exercuere vires,& inuictæ
Fortitudinis ſpectaculum
exhibuerunt.
Iuuit eos antiquitas, vt venerabiles fierent,
Et Auguſtiores mortalibus.
Ferus,ac ferreus Hercules accerſebat monſtroſā ſpeciē;
Qua ſe efferabat: aptus
Feris ipſi ferocior,armare,& efferare
Feras,
Mitior, & manſuetior Theſeus,extra feritatem fortis.
Fabula item, ſed minor Hercule
fabula.
Neutri bruta vis fuit, ſed erudita fraude. Hercules
In Antæo, & Caco aſtu vſus.
Theſeus in labyrinto filum adhibuit.
Eo infelices,quòd monſtra in Cęlo collocarunt,& ipſi
Se

Se ad Inferos deiecerunt:
Illud superat omne monstrum, quòd amor nudus,
Et inermis
De his ferarum Domitoribus
Triumphauit.

EPIGRAMMA.

THeseа, & Alciden virtus in Monstra coegit,
Egit & infernas ire, redire vias.

Omnia quæ Tellus generat, quæ Pontus, & Æther
Armata fortes edomuere manu.

Orcus adhuc super vnus erat, maioribus horrens
Prodigiis, illuc vertere tela parant.

Est via virtuti nulla innia: profuit ausus,
Et potuit Stygias debilitare feras.

Debuit Alcides Acherontis flumine mergi,
Et Stygio corpus turpe lauare lacu.

Postquam etenim Augiæ Stabulum purgauerat, inde
Obrutus innumeris sordibus exierat.

Nec poterat tantas aliter deponere sordes;
Quàm si Tartareis ablueretur aquis.

Amicitia vtilis.

LECTIO TERTIA

Ad Textum Aristotelis cap. 4.

Τελεία δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία. Οἱ γὰρ ἀγαθοὶ, καὶ ἁπλῶς, καὶ ἀλλήλοις ὠφέλιμοι.

Perfecta est amicitia bonorum. Boni enim, & absolutè boni sunt, & inter se vtiles.

DOCVMENTVM III.



*Micitia malum vertit in bonum. **Odium** contrà. Nocet etiam bono. Amor Arte, & modo prodest. Manus amici attendenda. Quæ ab illa veniunt Salutaria. Amor etiam inermis iuuat, & tuetur amicum. Addit vires. Dona inimici suspecta. Et noxia. Amici vtilia. Nihil ab amore incongruum, nihil ineptum. Ingeniosus artifex. Detrimenta, in emolumenta mutat. Perniciem ad salutem transfert. Belluli Amoris astus ad vtilitatem compositi.*

PErpetuò Philosophus amicitiam τῷ χρησίμῳ coniunxit; ei adhæsit Tullius in Lælio, qui cùm sentiat *Nisi in bonis amicitiam esse non posse*, subiungit: *Amicitia multas, & magnas cōmoditates continet*: idque sępe repetit, ac perspicuè ostendit. Et quidem iure. Nam quidquid à bono amico venit, ex amore nascitur, qui prodesse

desse nouit, obesse non nouit; quamquam careat oculis semper scopum boni attingit. Exemplo sit Deucalionis Vxor Pyrrha, quæ post diluuium propagandi genus humanum studio, amore prolis, lapides post tergum iaciens eos in homines conuertebat, cùm tamen proposterè ageret, & aliò aspiciens cæco modo lapides in terram mitteret. Verùm quòd ille iactus amoris erat, certus, & vtilis fuit. Homines genuit quo ii modo solent interire, lapidum iactu, citra iacturam, euentu felici. Secus Medusa: cuius aspectu homines in lapides vertebantur, cùm eam rectis oculis aspicerent. Vnde discrimen? Quòd in Medusa horror inerat: amor in Pyrrha. Odii inutilis, imo & noxia vis est. Amicitiæ virtus salutaris, & vtilis. Hæc ex lapidibus homines gignit: illa ex hominibus lapides facit. Hæc duros lapides emollit in homines: illa molles homines indurat in lapides. Leo Sansoni fauum mellis porrexit dulce vitæ condimentum, quia Sanson amare cœperat, & horrorem exuerat, & amore ductus sponsam cogitabat. *Date mihi vxorem, Nam placuerat oculis eius*. Hic amor, & Leonem viuum sustulit, & mortuum in mel conuertit. Naturam amoris induit, qui est melleus. Contra Iahel lacte vitę alimento sopitum Sisaram transfixit, & interemit. Cur? quia lac illud vitale à manu mulieris inimicæ prouenit. Corruptum ab odio, degenerauit in venenum, effectumque est mortiferum. Tantum interest inter manum inimicam, & amicam. Da mihi amicam manum; ut præbeat venenum, lac bibes. Da inimicam, ut lac porrigat, venenum hauries.

Iud. 14.

Iud. 4.

Miratur vulgus Auctorum illam commutationem à Glauco cum Diomede in Troiano bello factam armorum, & taxant Glaucum, quòd arma sua aurea cũ armis Diomedis ferreis permutarit: idque stultitiæ

vertit

vertit vulgaris paræmia. Fallitur opinione. Iure egit Glaucus; nam non multum curauit de pretio ubi amicitia interuenerat: amicorum more donabat alter alteri, quæ gerebat arma in pignus, & monumentum amoris: nihil ergo intererat essent ne aurea, an ferrea, cùm ex amore permutatio nasceretur. Imo Glauco dandum est prudentiæ nosse amicitiæ pretium, & pretiosa donasse, ut superior euaderet amore, qui arma ferrea inaurabat. Quod si iis pugnandum esset nihil concederent aurea ferreis, nec quidquam præstarent aureis ferrea, vtente vtrisque amore, qui pugnat corde, non robore. Excellit viribus qui excellit amore. Nudus amor pugnat fortiùs & vehementiùs. Docet pugnare, & inermis fabricatur arma. In fibris non in officinis cudit arma. In præcordiis, non in fornacibus. Nuda Venus, amoris symbolum, vicit Palladem armigeram, & belli potentem, & minus valuit cum armis induta. Id significauit pulcherrimum illud schema Lacedæmone propositum. Erat apud viros bellicosos armata Venus, non nuda, nec delicata, nequid molle, ac imbelle in forti, ac Martia urbe effingi tur Pallas, quæ genio bellax, & ingenio Atheniensis, Veneri inuida, Lacedæmonis æmula armatam irridens Venerem, obiecta specie insolenti, & incongrua hoc eam scommate aggressa est ore veteris Poetæ.

In Iliade.

Armatam Venerem Pallas Lacedæmone visens
Visne ut iudicium sic subeamus ait?
Cui Venus arridens: quid me galeata lacessis?
Vincere quæ potui nuda, quid arma gerens?

Vtraque acutè respiciens contentionem à Paride diremptam, vnde pomum discordiæ. Probo acumen Epigrammatis, responsionem tamen muto, & in vsu meum verto, & Venerem aliter respondentem induco.

Cui

Cui Venus abiecto clypeo procul, & procul ense
Prodi, ait: armatam vincere nuda queo.

Et hoc repono Poetæ veteri. In bellis fortuitis, vt Æneid. 8
xit Virgilius, *Telum ira facit.* In deliberatis arma suggerit amor, Armamentarium aperit, ut defendat amicum, & offendat hostem. Produco familiare, quod & in sacrum abiit, paradigma. Gallinam mitissimam, & mollissimam Auium. Quis eam armat aduersus Miluum rapacissimam, & audacissimam volucrem, cùm pullos suos appetit, & inuadit? Amor. Ecce tibi, turgescit, & inhorrescit, tota hirsuta, & hispida, crinitur pennis, & animata pilorum seges, hastatorum aciem promit. Asperat cristam in galeam, rostrum acuit in spiculum; vngues obtusos cuspidat in mucrones, graues ac lentos pedes incitat in assultus veloces. Quin tota expanditur in pennatum tentorium, & pullos subtus recipit, & colligit, imo & testudinem plumeam concamerat, vt venientem ex alto volatilem molē sustineat, ne pulli opprimantur. Erecto collo, ardua ceruice, pennata turris eminet, & oculis vigilantibus excubat, & volubili palpebrarum motu in omnem partem aciem intendit, nequà prædo ales ingruat, & pullum minus cautum, aut male tectum inuolet. Stat in gradu, dimicatura si opus sit, seque tenet, suosque continet, prouida, solicita, anxia, Argus plumeus. Tum si audax volucris irruat, & in apertam vim erumpat, illa quiddam ferale crocitans, classicum canit, & acta in rabiem liuescit, & incalescit, expedit pennarum setas, & pilos stringit, & in pedes arrecta nititur, & surrecto rostro imminet, prominente collo, protuberante capite insilit, & assilit ingruentem hostem, & rostro adunco abigit, ac falcatis vnguibus repellit, inuadentem reprimit, assultantem compescit, astum

eludit aſtu, vim ui repellit, repugnãti repugnat, pungẽtem repungit, percutientem repercutit, interdum cauta cedit, & retro redit, ut maiori impetu capto fortior in hoſtem redeat, nec quieſcit, nec ſinit quieſcere, tandiù reſiſtit, donec aut auertat, aut ſuperet hoſtem. Vnde quæſo iſta vis, vnde iſta bellica peritia, unde hæc induſtria militaris? Momento diſcit armari, pugnare, ferire, vulnerare: propellere, arcere, fugare. Amor eam docuit. Amoris diſcipula bellare nouit, amore magiſtro erudita ad pugnandum euaſit, natura anteuertit doctrinam, ad omne genus pugnæ ſolo eruditur affectu.

Inſeramus aliquid diuinum. Accedit Iacob peregrinus ad puteum, molari lapide clauſum, quem moris erat reſerari à Paſtorũ multitudine concurrente, colle-
[illegible] ctis in vnum gregibus, ut à vacuis, & coniunctis tolleretur ſaxea moles, minore vi non mouenda. Iacob tamen in Rachelis venientis gratiam ſolus aggreſſus eſt ſaxum, & remouit, & copiam aquandi fecit. Qui? quod ceteri vnà coeuntes difficile patrabant, vnus Iacob tam facili negotio preſtitit? Vnde illi tantæ, tãque vaſtę vires? Ab amore. Hic Iacob valentem reddidit in vtilitatem caræ propinquæ, cui nimis ſtudebat, hic ardor conſumpſit lapideam molem, cum acceſſit non erat lapis, ſed cera reſoluta; eſſe deſijt, non fuit grauis. Nec arma tantum præbet amor, & vires, ſed etiam felicitatem bellandi. Obſeruo Æneam cum præſtantius aliquod facinus patraturus eſſet ab Achate amico ſuo mutuari arma ſolere. Ità Lib. 1. & in primis duodecimo.

Suffice tela mihi.

Quibus ab eo acceptis nunquam aberrauit ab ictu. Nouerat Dux pius quantum momenti eſſet in amicitia, ea fortunabat arma; vt numquam fallerent armatum.

tum.

tum. propterea Hercules Monſtrum illud fortitudinis cùm viribus polleret, & armis abundaret Philoctetis ſagittas teſtamento ab eo ſibi legatas libenter accepit, quòd ab amico veniebant, iis vſus feliciter metuendas voluces Stymphalidas confecit, certus effectu deſtitutum non iri. Conſuluit communi vtilitati: non quòd egeret, ſed quòd teſtaretur amicitiæ fidem.

Miraculo propè dandum, quòd nihil ab amore datum infeliciter exijt: adeò fortuna indulget, imo litat amori. In hiſtoria Atalantæ, & Helenæ documentum poſuerunt fabulæ. Fatalia illa poma fuerunt, quæ conciliarunt nuptias Atalantæ cum Hippomene, & Helenæ cum Paride. Huic pomum attulit perniciem tum priuatam, tum publicam vſque ad lamentabile excidium Troiæ, in cineribus ſepultum eſt pomum mortiferum, quod innuptas nuptias fecit: ſecus pomum aureum Atalantæ. Hoc in terram proiectum & à currente virgine correptum felices ei thalamos parauit in gloriam coniugum erupturos. Vnde tanta diuerſitas pomorum? Aureum Paridis plumbeum, imo & igneum deuenit. Aureum Hippomenis, gemmeum euaſit. Noſce principium, & augurare. Pomi Paridis origo fuit diſcordia Dearum inimicarum. Origo autem pomi Hippomenis amor extitit. Ne mireris exitus: amor profuit, diſcordia nocuit. Pomum amici deduxit Hippomenem in thalamum. Pomum diſcordiæ redegit Paridem in tumulum. In donis non ſunt conſideranda, quæ donantur, ſed à quo donentur. Eſt quippe verum illud Æneid. 2.

Timeo Danaos: & dona ferentes.

Deianira dedit veſtem Herculi, quæ extinxit indutum. Andromacha donauit Chlamydem Aſcanio, quę ornauit veſtitũ. Ab odio veſtis Deianiræ feralis, ab amore Andromachæ ſalutaris

Ænei. 5. *Andromachæ testentur amorem.*
In manibus erat discrimen.
Manuum monumenta mearum.
Pelias hasta vulnerauit Telephum : eadem sanauit: Vulnus tunc intulit, cum inimicus erat Achilles. Curauit, cum amicus. Odium percussit: amor sanauit. Da maleuolum, nocet: da beneuolum, eodem quod
Iud. 16 nocuerat prodest. Præcidit capillos Sansonis forfex Dalilæ ad interitum: forfex totondit Absalonis cæsa-
2. Reg. riem ad pretium, quia illa inimicæ manus, hæc amicæ
cap. 14. instrumentum erat. Inde discrimen. Quæ amicitiæ dona sunt, & si videantur incongrua, & inepta, quadrant in accipientem: quæ autem aliunde veniunt,
1. Reg. si apta sint, & congrua minime conueniunt. Prabet
18 Ionathas Dauidi vestimenta sua: minus fortasse congruebant, cum Ionathas iuuenis esset procera, & vasta corporatura: quippe qui Saulis filius, qui toto vertice super ceteros eminebat: Dauid adolescens delicatus, & mediocris, uti fertur, staturæ. Nihilominus quadrarunt in Dauidem vestimenta Ionathæ, cum
1. Reg. minimè reiecerit. Præbet arma sua Saul Dauidi, quæ
17 cùm corpori intimè non hæreant facilius aptantur, & geruntur. Ea tamen non conuenerunt Dauidi. *Non possum*, inquit, *sic incedere*. Causam dum inquiro: illius in mentem uenit. Amor concinnauit vestimenta Ionathæ, artifex peritus. Metus aptauit arma Saulis, artifex imperitus: propterea quadrarunt vestes Ionathæ, quæ ab amore Dauidis; non conuenerunt arma Saulis, quæ à timore Goliath sunt profecta. Sed fortè aptus, ac iustus non erat habitus Ionathæ. Esto: amor suppleuit. Quemadmodum non erat iustus habitus Martini donantis chlamydem pauperi, quippe quod dimidium erat, tamen integra vestis euasit; etenim suppleuit amor reliquum, & iustam, ac integram ve-
stem

ftem ex illo dimidio fecit: atteftante id poftea in viſione Domino *Martinus* inquit, *hac me veſte contexit*. Veſtem appellat integram, quæ contexit, & operuit totum, non partem, quæ nec tegeret, nec operiret. Sartor fuit amor: ſuppleuit aliud dimidium. Vide, vt dimidium veſtis in iuſtam, & integram veſtem tranſierit? Hæ ſunt artes amoris.

Non admodum laborandum eſt calamitoſo, in quas incurrat miſerias, ſed in quas manus incidat. Patimur à manu, non à fortuna. Nacta eſt adultera Chriſti manus, libera euaſit; incurrit in manus ſenum pudica Suſanna, damnata fuit, & ni miraculum interueniſſet periret. Lancea Saulis in eius manu perniciem Dauidi afferebat. Telum in manu Ionathæ ſalutem attulit. Gladius à Goliatho rotatus noceret Dauidi. Acceptus à Dauide ſeruauit eundem. Dormiebat Saul in Caſtris, erat prope haſta, illa voluit Abiſai Saulem interficere. *Perfodiam*, inquit, *eum*. Dauid amicus auertit haſtam, & prohibuit: *Ne interficias*. In lacu Leones inuenit Daniel: in puteo Ioſeph liberatores. Auguſtus Cęſar habuit in delicijs Cleopatram, non amore, ſed ſtudio triumphandi. Senſit illa: maluit aſpides, earumque veneno occubuit triumpho intercepto. Sophonisba veneni poculum miſsum à Maſſaniſsa ſponſo hilariter bibit, quaſi munus amantis; mori maluit, quàm deuenire in Romanas inimicorum manus.

Ioan 8. Dan. 13 1. Reg. 18 1. Reg. 17 1. Reg. 20 1. Reg. 26 Plutarchus. Liuius

Mirabilius: quòd inſtrumenta, & artes nocendi proſunt amicis cum procedunt ab amico. Per tectum ſolent fures nocturna furta patrare. Præcingunt ſe funibus, ſeque demittunt. Vide iucundum ſpectaculum. Hac arte amicitia vtitur ad ſalutem amici. Lepidum quidam narratur apud Marcum cap. 2. Amici, & propinqui cuiuſdam Paralytici cùm eum ſanare vellent ad Chriſtum deducere ſtatuerant, vbi ille mora-

Marc. 2.

batur, non potuerunt inferre præ turba,quę tota domum, & fores occupabat. Ergo conſcendunt tectum, nudant illud, & remotis regulis demittunt per funes ægrotum in grabato.& ante pedes Domini conſtituunt. Quid hoc eſt? latronum more diſcooperiunt tectum, & per funes dimittunt hominem,ceu prædatum venirent. Ab amore fuit aſtus pius, & iucundus: uſus fuit arte latronum, eamque in ſalutem miſeri ægroti conuertit & pio latrocinio extorſit a Domino ſanitatem. Acutus eſt, & ingenioſus amor. Hac ratione Ioſeph experiri voluit fidem fratrum erga Beniaminum. Quis crederet uſurum eum arte proditoria? Imputauit Beniamino furtum impoſito in eius ſaccum ſcypho ſuo diuinatorio, vt ea ſpecie reuocaret puerum, & comperiret fratrum ergo illum ſtu-
Gen.43 dium. Reſpondit euentus voto: ex ficto latrocinio apparuit fides germana. Beniamin liberatus, fratres in amicitiam recepti, pax extitit, & amicitia profecit aſtu, qui ſolet deludere, ac nocere. Verùm amoris virtus in bonum conuertit aſtutiam.

Documento amorem etiam ſpecie nocendi proficere. Nemo ſibi timeat ab amico; tuta in amore, imo
Pro- & vtilia ſunt omnia. *Meliora ſunt vulnera diligentis,*
uerb. *quam oſcula odientis*, quod Auguſtinus ad Hieronymum celebrauit.

CO-

CORONIS.

PAR AMICORVM Pylades, & Oreſtes.

ELOGIVM.

Amico: vni? an duplici?
Si ſpectes corpora
Duplici
Si animas vni.
Duo erant, & vnam agebant perſonam
Tranſeunte Pylade in Oreſtem.
Crimen patrarat vnus: & duo rei
Erant.
Oreſtes volebat eſse quod erat.
Pylades quod non erat.
Cùm is Oreſtes eſſe mallet, vt
Periret Pylades pro Oreſte.
Oreſtes retinebat quod erat, ut non eſſet,
Ac ſupereſſet Pylades.
Verum dicebat Oreſtes, ne eſſet impius,
Falſum Pylades, ut eſſet pius.
Si naturam ſpectares, Oreſtes erat Oreſtes;
Si amorem, Pylades erat Oreſtes.
Alter affirmabat idem: alter negabat idem.
Neuter mentiebatur.
Nempe
Amicus alter Ego.
Puduit ſui mortem. Vnum hominem diſſoluit;
Duos ſeparare non potuit:
Arctiùs ligat amor, quàm anima

Maior

Maior est diuersitas Animæ à Corpore,
Quàm amici ab Amico.
Ne mirere
Anima est tota distincta à Corpore:
Amicus est dimidium
Animæ.

EPIGRAMMA

Talis erat Pyladis concordia, talis Orestis,
Viribus vt nullis dissocianda foret.

Irrita Falx mortis, Parcarumque irrita forfex.
Firmus amor, constans vox vtriusque fuit.

Nam mirata fidem Musarum turba sororum,
Dum resonat clarum nomen Orestis, ait.

Hanc violare fidem ferro nemo audeat, inter
Vestra fides nostras est numeranda fides.



Ami-

Amicitiæ voluptas, & solatium.
QVARTA LECTIO.

Ad Textum Aristotelis cap. 4.

Οἱ φίλοι ἀγαθοὶ ἡδεῖς, καὶ ἁπλῶς ἡδεῖς καὶ ἀλλήλοις.

Amici boni iucundi, & quidem absolutè, & mutuò iucundi.

DOCVMENTVM IV.



Vlce communicare cum Amico prospera. Duplicatur, ex eo voluptas. Solitudo minuit gaudium. Societas auget. Huc trahitur Currus Eliæ. Cornuta facies Moysi. Catena Homerica. Scala Iacob. Lælius Tullij. Cœnaculum. Tactus Thomæ. Thaboris transfiguratio. Duplex Seraphim. Sinus Abrahæ. Solatium Amici in aduersis suauissimum. Affertur Cicero ad Atticum. Iob. Beat in Cœlo Deus cum manu sua lacrymas Sanctorum tergit. Thesauri riuis apud Iobum. Amici consolatio officium debitum. Regium opus consolari. Consolatio pars est Beatitudinis. Ars consolandi necessaria. Contingunt errores in consolando. Etiam ad inanima pertinet consolatio. Hæc singula exemplis, & sacris scripturis probantur.

Rectè ad mentem Aristotelis Cicero in Lælio. *Amicitia nihil à Diis immortalibus melius habemus, nihil iucundius.* Et iterum. *Nihil est remuneratione, nihil vicissitudine studiorum officiorumque iucundius.* Expertus hoc erat in Scipione apud Tullium Lælius, & idem Tullius, apud quem loquitur Lælius, cui multas, & ma- Tullius

gnas

gnas voluptates attulerat amicus Atticus: nec minores ceperat ex Teophrasto Aristoteles. Consentit
Ambr. Ambrosius offic. lib. 3. cap. 6. *Solatium huius vitæ est, vt habeas, cui pectus aperias tuum, qui in prosperis gratuletur tibi.* Duplicatur gaudium, cùm prospera, quæ nos lætificant cum amico narrando partimur. Cumulatur ex participatione lætitia. Vix dum inuenerat illa mulier
Luc. 15 Euangelica amissam drachmam cum conuocat is vicinis, & amicis illis comunicauit felicitatem. *Congratulamini mihi quia inueni drachmam, quam perdideram.* Ex congratulatione amicarum quęrebat sibi duplicatum gaudium, creuit ex participatione lætitia, nam gaudium amici redit ad amicum. Dulce, ac suaue est communicare cum amico felicitatem. Vbi Ioannes vidit
Io. 21. Christum in littore, erupit in gaudium, & ad Petrum *Dominus*, inquit, *est*. Cælare noluit amicū illud bonum, vnde sibi augenda erat lætitia. Nec se potuit contineri quin cum amico partiretur conceptum gaudium.
Matth. 21 Propterea illæ sanctæ feminæ compertis Resurrectionis indiciis ad Apostolos statim cucurrerūt, ut eos eodem gaudio perfunderent quod acceperant, & ex eo duplicarent hilaritatem. Quin ipsemet Christus glo-
Marc. 16. Luc. 24 riæ suę participes discipulos fecit, quasi non posset priuatum dissimulare gaudium, quod prorumpebat è pectore, & foras ad cumulum opera communicationis prodibat. Minutum gaudium est quod intra amātem manet, nec transit ad redamantem. Propterea
4. Reg. 2. Elias iturus ad superos comitem secum duxit Eliseū carissimum discipulum, cui ardentis currus splendorem, & gloriosum ascensum demonstraret, ne iacturam faceret gloriæ si solus consumeret. Moyses vt
Exod. 34. sensit illustratam faciem suam radiis gloriæ de monte descendit, ne ille splendor in solitudine periret. *Cornuta facies* repræsentabat lunā, quæ comitata stellis lucere

solet,

ſolet, & ſocietatem luminum amat. Hic enim Planeta non fulget ſolitarius, ſed inter ſtellas ſplendet, vnde illud. Horat. ode 12. lib. 1.

Micat inter ignes luna minores.

Hoc ſole beatior, quòd hic ſolus lucet in cæleſti ſcena, & ſui fruitur ſpectaculo, nec patitur ſocietatem. Felicior Moyſis ſplendor: aſſimilabat lunam, & lumine, & ſocietate, & duplicabat gaudium. Pars eſt gloriæ. Societas appellatur cæleſtis gloria Sāctorū, quòd beatitudo ſocietate augeatur. Catena illa Homeri paradigma huius beatitatis. Fingit illa Deorum inter ſe Homer. Iliad. cōnexionem vinculo copulatam, itaut omnes inter ſe nexi continerentur, & à terra de Cælo deſcenderent. Vinculum erat amicitiæ, quo inter ſe communicabāt gloriam, & cum hominibus participare ſtudebant, ſignificantes gloriam ex conſortio duplicari. Libertas illa erat non ſeruitus: liberiùs ea ratione lætabantur, quàm ſi ſoli remanerent. Seorſim beati non erant copulati, nec contenti Homerici Dii: mutua illa inter ſe ſocietate gaudii in terram propendebant, ut cum hominibus partirentur gloriam, vnde caperent incrementum. Ex catena augebatur voluptas, & quæ ſeruitutem ſignificat propter nexum & ſocietatem libertatem gloriæ ſignificabat. Neſcio an Homero nota fuerit ſcala Iacob, eamque voluerit imitari? nec enim ſacræ litteræ ignotæ veteribus: imo tota eorum probata doctrina eo fundamento niti videbatur, vt Iac. 1. *Omne datum optimum* niſi à Deo eſſe non poſſet. Imo, & quidquid fabulæ continent ad mores pertinens ex hiſtoriis Sacræ ſcripturę depromptum Mythologi tradunt. Quare Petrus *doctas fabulas*, appellauit. In ea 2. Pet. 1 igitur ſcala Angeli aſcendentes & deſcendentes ſe ſe comitabantur, & communicabant gloriam, dum alii Gen. 28 aſcendebant, alii deſcendebant, ac ſibi mutuo de bea-

 tudinis

titudine gratulabantur, dum alii aliis gaudium afferebant. Nec Cælo continebantur: sed terris etiam sese dabant, & cum mortalibus lætitiam partiebantur. Solitarius ineptus est ad fructum gloriæ percipiendũ. Vt aliis rebus abundet, si amico careat, lætari nequit. Quamuis in Cælo sit constitutus, & à miseriis vitæ mortalis liber, & fœlix videatur, ac beatus, miser existit. Audiamus Tullium in Lælio. *Verum est illud quod a Tarentino Archita (vt opinor) dici solitum nostros senes*
Cicero. *commemorare audiui ab aliis Senibus auditum: si quis in Cælum ascendisset, naturamque mundi, & pulcritudinem Siderum perspexisset, insuauem illam admirationem ei fore, quæ iucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. Sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquid tanquam adminiculum annititur, quod in amicissimo quoque dulcissimum est.* Hinc illa Christi resurgentis cum discipulis conuersatio, & confabulatio *loquens de regno Dei*, non potuit solus gloria frui; communicare voluit, vt communicatione cresceret: imo se tractandum, & tãgendum discipulis præbuit, vt ex eo caperet voluptatem. *Videte manus meas, & pedes.* Quinetiam Thomam
Ioan incitauit ad tactũ vulnerum manuũ, pedum, & lateris.
20 Mirum. Videbatur illa vulnerũ refricatio, & passionis renouatio: aperiebantur quippe vulnera illatis digitis, & latus immissa manu. De nouo videbatur crucifigi. Aliud agebat Christus: augebat gloriã ea retractatione vulnerum, quòd ea discipulis cõmunicabat: blandiebatur sibi ex illo tactu Apostolorum, deliciabatur renouatione vulnerum, eamque in parte gloriæ ponebat. Præclarè Ambrosius. *Blanditiæ intimorum tan-*
Offic. l. 3. c. 22. *gunt viscerum sensum,* cum pectus aperiebat, & prouocabat manum, aperiebat portam ad voluptatem per-
Offic l. 3. c. 13. cipiendam, Ait quippe idem Ambrosius. *Aperi pectus tuum amico, vt capias ex eo vitæ iucunditatem.* Nunc intelligo

tellige illa verba, *Quid sunt plaga ista in medio manuum* Zac. 13.
tuarum? His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.
Quomodo illæ plagæ ab inimicis inflictæ in domo amicorum acceptæ referuntur? Ego sic capio. Duas passiones habuit Christus, vnam in Caluario, alteram in Cænaculo, quando à Discipulis retractata fuerunt vulnera. Prima passio dolorem peperit. Secunda voluptatem. Eò respexit Christus cum dixit *plagatus sum in medio eorum qui diligebant me*, gloriosa passio fuit illa retractatio vulnerum in Cænaculo, quæ primam Calvarii in gloriam vertit. In prima passus est ab inimicis. In secunda glorificatus est ab amicis.

Verùm aliquid meditor aptius, & iucundius, quod mouet expectationem. In monte Thabor theatrum suæ gloriæ statuerat Christus in die Transfigurationis suæ. Solem, & niuem, & vultu, & habitu præse tulit, & gloriosus apparuit, non tamen solitarius. Tres Discipulos secum duxit, & quia oculi eorum splendore, præstringebantur, nec illius capaces spectaculi erant, aliò se conuertit, & aliunde amicos vocauit, qui ob statum immortalitatis (quicunque is demum esset) & lucem ferre, & gaudium afferre glorioso possent. *Apparuerunt Moyses, & Elias*, ne solitarius cothurnos Matth. gloriæ indueret, & socios glorificationis haberet. Ad- 17.
dit Euangelista *loquentes cum Iesu*. Non satis erat societas visionis, nisi concurreret confabulatio: vt finis apparitionis pateret; nempe participatione gaudii per sermonem beatitudinem augeri. Narrando igitur crescit gloria, quæ nulla videretur esse, si obrueretur silentio. Non est passus solitudinem Christus, quæ societatem gloriæ auferebat, conuersatione vsus, gloriæ fructum capiebat. Loquebantur igitur inter se, Christus narrando: Moyses, & Elias congratulando; & loquentes gaudium cumulabant. Visum est Christo

amici dulcia verba, suauia colloquia, salubria consilia; mirificè amicum oblectant iuxta illud Prouerbiorum 27. *Bonis amici consiliis anima dulcoratur*, verbum dulce, & nectare plenum. Amicus pręsens abstergit maerorem, & instillat mel gaudii. Horatius tanti faciebat amici praesentiam, ut ex ea dulcedinem perciperet & ex gaudio in furorem quasi oestro percitus ageretur. Prouerb.

Recepto Ode 7
Dulce mihi furere est amico. lib. 2.

In sinu gaudet, qui est in sinu amici: fruitur beatitudine quadam, qui in eo fouetur, & requiescit, fauore vsque ad invidiam felici. Exemplo idoneo confirmo. Quare ille diues Epulo toties rogabat Abrahã, vt Lazarum mitteret, tum ad proprium tormentum leuandum, tum ad auertendos fratres à tormẽto? Dicit semel: *Mitte Lazarum vt refrigeret linguam meam*. Et Luc. 16
iterum. *Mittas eum in domo Patris mei. Habeo enim quinq; fratres, ne ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. Videtur iure quodam petere ad leuamen ardoris proprii, & remedium mali imminentis alieni. Verum ineptae, & suspectae videntur petitiones. Prima, quia vna aquae gutta non erat satis ad illa incendia mitiganda, imo erat apta ad illa augenda. Secunda, non quadrabat illa pietas cum illo statu damnationis, ubi nullum bonum morale de nouo fieri videtur posse. Quorsum igitur tendebant illae petitiones? Rem teneo, erat astus Diuitis inuidi, & maligni: conabatur deturbare Lazarum è sinu Abrahę, vbi quiescebat, eumque priuare ea voluptate, quam percipiebat ex amici Abrahae complexu, quem ille acutus, & vafer partem maximam beatitudinis esse ducebat. Verè quidem sentiebat; nam qui deturbat amicum è sinu amici, è gloria deturbat. Voluntas erat praua, sed cogitatio idonea ad

con-

confirmandum nullum maius esse solatium, quàm si amicus in sinu, & complexu amici teneatur. Is enim
Ioan. 1. locus proprius est Vnigeniti apud Patrem. *Qui est in sinu Patris.* Eumdem habuit Ioannes dilectus Domini
Ioan 13. apud Dominum in Cęna. In eodem positus Beniamin
Deute. amantissimus, Domini, de quo dicitur, *Inter humeros*
ron. 33. *illius requiescet*. Eiusdem copiam fecit Cęlestis sponsa
Cant. 1 dilecto suo sponso *Inter vbera mea commorabitur*.

Iucundissimum item est amici solatium in malis. Huius rei plenæ sunt Epistolæ Ciceronis ad Atticum. Calamitosissimus vir extitit Cicero, sed calamitates communicando cum amico Attico releuabat, quemadmodum apparet in priuatis exilii, & in publicis
Cicero. Ciuilis belli. De illis agit lib. 3. & 4. De his lib. 7. & reliquis. Itaque consolatione vsus Attici ducebat vitam. Præterea in morte filiæ Tulliæ, qui casus Patrem Tullium vehementer afflixit, consolationes amicorum quæsiuit ad mærorem leniendum, ac est vna Sulpitii ad Ciceronem elegantissima inter familiares. Imo & se ipse Tullius est consolatus tanquam sui amicissimus, oratione quadam consolatoria, quę vulgò circumfertur, incertum est enim, an Tulliana sit. Solatium amicorum in malis minuit dolorem, ut qui consolatores habeat de fortuna sua queri non possit, qui non habeat iure queratur. Cōferamus in rem duos locos Scripturæ Sacræ, alterum Iobi, alterum Hieremię.
Iob. c Grauissimas calamitates passus est Iob, uti nemo ne-
1. & 2. scit, redactus ad sterquilinium, miserabile spectaculū fuit. Par exhibuit apud Hieremiam Vrbs Hierusalem euersa, & desolata. Si conferantur inter se, maior videtur Iobi calamitas, & tamen grauiùs queritur Hierusalem, adeo ut in Threnos lamentabiles ore Hieremiæ proruperit, quod de Iobo non legimus. Questus est ille quidem, sed citra lamentationes, & Threnos.

Vnde

Vnde hoc discrimen? Erat ne delicatior Hierusalem, quàm Iob? grauiùs torquebatur, dolebat vehementiùs? Minime quidem, sed in eo differebant, quòd Iob habebat amicos consolatores, quibus carebat Hierusalem. Vno verbo id significauit Hieremias *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* Vbi duo notanda; vnum carorum & amicorum esse consolari, alterum qui destituitur amicis, eum expertem esse solatii. Nunc; perinde erat habere consolatores, ac nihil pati, carere iisdem, ac pati omnia. Igitur Iobo subtracta est materia querendi, quia ablata est calamitas per solatium amicorum, accreuit autem Vrbi desolatæ argumentum mali per defectum consolatorum. Quin ipsa hoc significauit, cum de ea dicitur. *Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius.* Plorauit sola nocturno tempore, nullo præsente qui lacrymas abstergeret; quod ipsa exaggerat dicendo. *Lacrymæ eius in maxillis eius.* Manabant quippe lacrymæ, & manebant in signum, & cumulum doloris, quòd nemo erat, qui abstergeret; erant pendulæ in genis, & suspensæ, & quasi in suspendium præ desperatione lacrymantem agebant. Itaque ne desperaret exiuit domo, dedit se in viam publicam, & ibi spectaculo erat prætereuntibus. *O vos omnes qui transitis per viam:* quærebat foris consolatores, quos domi inuenire non poterat Et quidem summa voluptas, est cum lugens amici manum sentit, qui detergat oculos, & abstergat lacrymas, itaut hoc solatium in partem beatitudinis transeat. Talem experta est apud Virgilium Venus cum à Patre Ioue in sinum accepta abstersis lacrymis leuata est. Mærore ebiecto spem concepit & reddita est pristinæ hilaritati. Sed hoc fabulæ dandum. Ponamus aliquid facrum ex Apocalypsi Ioannis. Loquens de Cælesti beatitudine. *Absterget,* inquit, *Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

Thren 1. Ibid. Ibid. Æneid. 1 Apoc. 21.

Non

Non capio myſterium, nam de beatis ſermo eſt, non de miſeris, qui in valle lacrymarum ſunt. Quomodo ergo lacrymis abundabāt, quibus caret Paradiſus? abūdabāt. Etenim dicitur *omnem lacrymam*, in Paradiſo à quo fonte procedebāt. Ibi enim nec eſt calamitas, nec miſeria, nec dolor, nec cruciatus, qui ſunt fructus vallis noſtræ. Intelligo. Tanti eſt voluptas ex ſolatio amici conſolantis: ut beatitudo, quæ omnes complectitur voluptates, illa carere non poſſit. Sint ergo lacrymæ, ne deſit illa beatitudo, conſolantis, & conſolati. Titillabat oculos Beati lacrymantis, manus diuina lacrymas abſtergentis, & inde ſumma delectatio exiſtebat, in qua ſita pars gloriæ. Imo ipſemet Deus propria manu illud munus exercebat. *Abſterget Deus.* Auctor glorię, quæ fit per viſionē intra in oculos, oculos detergebat, & nouam gloriam afferebat: & quamquā abſtergendo clauderentur, nihil amittebant de beatitudine; nam Beati clauſis oculis tantum voluptatis percipiebant, ut viſio ea oblectatione ſuppleretur. Quin & ipſemet Deus in partem gloriæ veniebat, cum erumpentes lacrymas colligebat; manebant enim in eius manibus, tanquam vniones, & gemmæ pretioſæ, quibus ille ditabatur, & in theſauros ſuos refe-
Iob, 38. rebat. Sic enim accipio illos *theſauros niuis* apud Iobum. Id eſt theſauros compoſitos ex lacrymis Sanctorum collectis, quæ ut eſſent ſingulæ, & liquidæ, in theſauris poſitæ concreſcebant, & dureſcebant in niues. Computabat ergo Deus lacrymas in gēmis, & ex illis theſauros beatitudinis componebat. Nihil intereſt inter voluptatem conſolationis, & gloriæ. Significavit
Pſ, 125. hoc Dauid, *Facti ſumus ſicut conſolati.* Ille pſalmus pertinet ad beatitudinem, quæ ſequitur huius vitę miſerias, quæ conuertuntur in gloriam. *In conuertendo Dominus*, & lætitia, cuius ibi fit mentio *Facti ſumus lætantes*:
æternam

ternam requiem sapit. Hæc igitur comparatur consolationi, perinde est dicere *facti sumus beati*, ac dicere facti *sumus consolati*, nam illa vox *sicut consolati* eo sensu debet sumi: sicuti gaudent *consolati*, ita etiam gaudent Beati, ut illud *sicut* non cadat super modum consolandi imperfectum, sed super consolationem relatam ad beatitudinem; vti Ioannis primo dicitur. Ioan. 1. *Gloriam quasi Vnigeniti à Patre: quasi* non significat similitudinem ad vnigenitum, sed æqualitatem Vnigeniti cum Patre.

Et verò consolatio est officium amici, vti docet Ambrosius exponens locum Iobi *Miseremini mei amici mei; miseremini* vbi. *Censoria vox est*, inquit, *hoc est misericordiam debetis facere.* Propterea Aristippus Philosophus cum audiret amicos suos mærentes in sordibus esse, ad eos statim venit, & cum illis plorauit. *En ergo* inquit *comes adsum doloris vestri*, eoque solatiū flentibus attulit. Arte verò opus est ad amicum consolandum, ne contingat deceptio, & consolationis loco contristetur amicus. Idcirco Antiphon librum de ratione consolandi scripsisse dicitur. Tres illi amici Iob, Auctore Ambrosio, à Deo reprehenduntur, quòd nescierint Iobum consolari, quamuis enim initio rectè egerint *scissis vestibus, sparso puluere super caput*, indicto sibi septem dierum silentio, postea tamen cùm loqui cœperunt desipuerunt, & exacerbarunt potius dolorem Iobi patientis, quàm mitigarunt, vnde Ambrosius: *Dominus ipse cum à tribus Regibus offensus esset, qui Sancto Iob honorem non detulissent, ignoscere his per amicum maluit, vt amicitiæ suffragium fieret remissio peccatorū.* Idque continetur in fine libri Iob. Vbi oportet aduertere, quanti sit amicum consolari, cùm Reges fuerint, & appellentur illi tres amici Iob, quasi regia virtus sit consolari amicum. Deinde quàm sit Deo gratum officium

Margin notes: c. vlt. de offic. — Ælian. lib. 1. de var. hist. — lib. 3. de offic. c. vlt. siue 16. — Iob. 2. — Iob. ult. — ut sup.

officium consolandi, quandoquidem Deus merito cō-
vbi sup. solationis ignouit peccata consolantibus, quemadmodum adiungit Ambrosius. *Profuit illis amicitia quibus obfuit insolentia.*

Non alias memini Christum toties, tamque seuerè suos reprehendisse discipulos, quàm cum sibi in horto anxio, & mæsto, & vicinæ mortis timore occupato solatium per somnolentiam subtraxerunt. Sic apud Matthæum 26. *Non potuistis vna hora vigilare mecum.* Apud Marcum 14. *Simon dormis?* Apud Lucam 22. *Quid dormitis?* Sæpius hoc idem repetiuit cum significatione doloris: duplici quidem nomine, & quòd deerāt officio amicorum, & quod ipse carebat solatio ad leuandum mærorem necessario, quo carere vix poterat animus afflictus, & exulceratus. Ex illa negligentia discipulorum crescebat dolor, qui eum quiescere non sinebat, compellebatque orationem interrumpere, & ad discipulos se conferre causa consolationis. Ibat, & redibat: quærebat solatiū, nec reperiebat; eoq; significabat quantū sit in amicorum solatiis momentum. Itaque suppleuit Angelus locum discipulorum. *Apparuit ei Angelus confortans eum*: Et qui noluit vti Angelorum defensione voluit uti consolatione. Refutauit Legiones Angelorum; *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim Legiones Angelorum?* & acceptauit consolationes Angelorum. Rem vidit Hugo Cardinalis in Lucam c. 22. *Iucunda est consolatio, ideo subditur consolatio Angeli confortantis eum per verba consolatoria*, verbis humanis vsus est Angelus. Venit autem *in specie humana*, uti notat Lyra, ut constaret Angelum vicem Apostolorum consolationem subtrahentium suppleuisse.

lib. 4. Conf. cap. 4. Et quidem dolentis amici vires recreātur, & reparātur per consolationem, teste Augustino, qui in magno

gno mærore constitutus. *Reparabant*, inquit, *me & recreabant amicorum solatia*, idque Marij exemplo declaratur. Latebat ille ut inimicos vitaret suos, & suum sanguinē sitientes in ruinis Vrbis Carthaginis: ibique solatium capiebat sui casus è ruina Vrbis illius quondam Principis, ac Æmulæ Romani Imperii, eoque vitam sustentabat, imo & ipsa Carthago euersa exemplo C. Marij ruentis se ipsam consolabatur. Itaque dum illa è culmine turrium, quæ in altum editæ desolatæ Vrbis ruinæ erant, intuebatur Marium deiectum, & Marius cōtra suspiciebat illa fragmina turrium, reliquias tantæ Vrbis excisæ, & mutuum ex eò aspectu solatium percipiebat, quod egregiè dixit, Velleius Paterculus *Carthago*, inquit, *intuens Marium, & Marius intuens Carthaginem, alter alteri erat solatio*. Tanta est virtus consolationis, vt etiam inanimata sustentet, ac reparet, qualis erat euersa Cartago.

Plut. Paterc.

CORONIS.

PAR AMICORVM

Æneas, & Achates.

ELOGIVM.

Troia ruens stante felicior: stans ruit in vitia:
Ruens in virtutes surrexit,
De qua dici nequit: ***etiam periere***
Ruinæ
Sed contrà ***: proficit illa ruinis***
E cineribus renata Phęnix. Extra se melior.
Caput illud auulsum Priami

Æneid. 5 Caput Mundo Romam dedit.
Peregrina optimos ciues peperit, inter hos
Par incomparabile
Æneas, & Achates;
Ille pius, hic fidus: Comites indiuidui, curas
Partiri soliti
Cor habuere commune.
Æneid. lib. 6. Lateri propterea adhærebat Achates, ut innueret
Cor Æneæ ad se pertinere.
Arcum, & sagittas portare consueuit, vt ageret
Æneid. 1 Personam Amoris:
Cuius officia exercuit.
Ibid. Excussit ignem è silice; è nube ceu tonitrus locutus;
Dona Didoni, amandi igniculos,
Attulit,
Æneid. 12. Fouit uulneratum Æneam: arma ei præbuit,
Cereus amico;
Hostibus ferreus.
Ibid. Epulonem ferocem iuuenem obtruncauit, & in eo
iugulauit delicias.
Illud Achatis proprium: secretum;
Hoc ita seruauit, vt in tanto operè
Virgiliano, semel tantùm sit locutus.
Et intra nubem ad Æneam,
Quasi Deus è machina.
Neutrius mors enarratur; quòd hoc par dignum fuit
Immortalitate.

EPI-

EPIGRAMMA

Siue Epitaphium.

Hic pius Æneas situs est, & fidus Achates:
Vna fides ambos vinxit amore pares.


Perpetui comites, quos non potuere profundi
Monstra, nec armorum dissociare mina.

Mutuus vsus erat: namque arma ferebat Achates,
Æneas pretium rursus amore dabat.

Extitit Æneas fortis, pretiosus Achates:
Æneus alter erat, gemmeus alter erat.

Hospes, in ambobus typus est expressus amici;
Splendet in ambobus cum pietate fides.

Hi duo sunt Troiæ monumenta, & pignora Romæ,
Hic tumulus geminæ, nidus & vrbis, adest.



Felix vna fuit Troiæ Fortuna fuisse,
Nam melior postquam desiit esse, fuit.

De similitudine, an, & quatenus ad Amicitiam requiratur?

LECTIO QVINTA.

Ad textum Aristotelis lib. Ethic. cap. 2.

Διαμφισβητεῖται δὲ περὶ αὐτῆς οὐκ ὀλίγα. Οἱ μὲν γὰρ ὁμοιότητά τινα τιθέασιν αὐτὴν, καὶ τοὺς ὁμοίους, φίλους. Ambigitur circa ipsam non parum. Quidam enim ponunt eam esse similitudinem quandam, & similes amicos. Οἱ δ' ἐξ ἐναντίας. Alii contrà. καὶ Ἡράκλειτος τὸ ἀντίξουν συμφέρον; Et Heraclitus contrarium idem vtile, καὶ ἐκ τῶν διαφερόντων καλλίστην ἁρμονίαν. Et ex dissimilibus pulcherrimam harmoniam existere.

DOCVMENTVM V.



AMicitiam esse vim quandam simpathicam. Ratione, ac libertate indigere. An cum inanimis & brutis iniri possit? An cum Angelis, & Deo? Ex similibus, & dissimilibus constat. Suadetur elementorum, & harmoniæ exemplo. Nimia similitudo nocet amori. Hæc non tam est causa, quàm effectus Amoris. Vti Mors omnem tollit differentiam, vt extinguat, æqua euertendo: ita & Amor aufert inæqualitatem, vt coniungat, æquus seruando. Amicitia similes facit, non inuenit. Exemplis ostenditur sacris, profanis. Similitudo in natura iuuat Amicitiam. Absque illa imperfecta sunt, & remedia, & solatia: idque & Iacob cum Angelo luctantis, & percussi, & Christi ab Angelo confortati, & posteà contristati argumentis probatur. Par

Ami-

amicorum adducitur. Damon, & Pythias. Cum Elogio, & Epigrammate.

VVlgò dicitur amicitiam ex similitudine oriri. Aristoteles ponit aliorum sententias: nihil definit. Mihi illud videtur. Amicitiam à sympathia potius, quam à similitudine proficisci. Experimur enim nos amore quodam prosequi personas, etiam incognitas, & externas, in quas incidimus nulla alia ratione, quàm innata quadam, & occulta animi propensione, adeout cum inter se ludunt, aut dimicant, alteri potius, quàm alteri desideremus victoriam. Imo & Amasijs sæpe minus ridet facies magis pulcra, & minus pulcra placet; adeo, vt non tam quòd est bonum, & pulcrum, quàm quod nobis est congruum, aptumque approbemus. De quo argumento Augustinus iuuenis libellum composuit, quem de pulcro, & apto inscripsit, qui magnó reipublicæ litterariæ damno perijt. Apparet hinc altiorem esse amicitiæ fontem, quàm similitudinem. Quare non temerè dixit Horatius

Vtrumque nostrum incredibili modo Ode 17 lib. 2.
Consentit astrum.

Et Persius

Nescio quod certè est quod me tibi temperat astrum. sat. 5.

Ceù à genesi proueniat amor, & amici in astris numerentur. Vt tota res constet à capite ordiendum. Inter ea, quæ ratione pollent, & ea quæ sensu carent amicitia esse non potest: nam vt hæc amentur, redamare nequeunt, quemadmodum docet Aristoteles hoc in lib. c. 2. adducto exemplo Vini, quod nos charum habemus, nec illud tamen charos habere nos potest. Hinc est, vt quæ sensu gaudent, & ratione destituuntur capacia non sint amicitiæ, quales sunt homines, & animantes inter se. An vero inter ea in quibus

est

est intellectus, & voluntas, & si genere toto differant, exerceri amicitia possit? quæstio est non inutilis, ut puta inter Angelos, & homines: nam hi amare, & redamare & sciunt, & valent. Negare certe non ausim; cum præsertim videamus Angelos nobis esse destinatos ad custodiam, & tutelam, nostrique curam agere, & in Sacris litteris Angelus Raphael amici partes obierit, & assidua Angelorum cum hominibus conuersatio in Sacra Scriptura, & in Sanctorum historijs, multis testata exemplis reperiatur. Quinimo Dei cum homine amicitia in iisdem scripturis sæpe monstretur nixa amatione, ac redamatione. Vnde Sancti homines *amici Dei*, & habentur, & nuncupantur, quamuis amor Dei erga homines sit gratia liberalis, capax tamen illius est homo, quòd per eamdem gratiam ad redamandum aptus sit. Quare Christus amicos nos vocauit homines *Vos amici mei estis. Vos autem dixi amicos.* Imo, & eos amore coniunctos ad vnionem quamdam inter se, similem suæ cum Patre euexit, cum optauit: *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Ex quo deducitur non esse opus similitudinis in natura, vt existat amicitia, sed solius rationis. Conuenientior tamen, & iustior erit, quæ exercetur inter similes natura, vti homines, & in communi sententia, quæ tenet multas esse species infimas Angelorum inter Angelos. Nam difficilius hoc erit in schola Tomistarum, qui non patiuntur indiuidua eiusdem speciei in Angelis sustineri. Ceterum nonnulli similitudinem quamdam ingeniorum, & morum ad amicitiam exigunt. At non opus est, me Auctore, hac similitudine, cùm experiamur multos ingenio, ac moribus diuersos amicissimos inter se esse, & in Historijs legamus fuisse. Imo sæpe amorem dissimilitudo conciliat, veluti inter se elementa consentiunt, cùm pugnent diuersis qualitatibus,

Ioan. 15

Ioan. 18.

tibus,& affectionibus. Nec iucũda existeret harmonia, nisi ex diuersis constaret vocibus, & acuta cum grauibus miscens varios æquabiliter consentus efficeret. In his triumphat amor,qui diuersa copulat. In illo Curru Ezechielis erat summa animalium maximè diuersorum concordia, adeo vt cum iugalia essent, & vnà currum ducerẽt,diuersitas foueret concordiam.Nempe vi amoris. Erat quippe in eo curru aspectus hominis *ad speciem electri*, velut *aspectus ignis*, quæ duo symbola sunt amoris: electrum quippe trahit,& ignis inflammat amore, cui illa diuersitas animalium seruiebat, varietate in vnum coeunte. Vbi perfecta omnino similitudo est imperfectior est amicitia, quæ similitudine minuitur,dissimilitudine crescit. Exaggerat Scriptura amicitiam Dauidis,& Ionathæ exemplo amoris mulierum *Super amorem*, inquit,*mulierum*. Significans hunc esse maximum, vti notat Abulensis ibi. Quare? Nõ erat perfectus amor inter Ionathiam,& Dauidem? Sanè perfectus erat, sed ad indicandam perfectionem ait Scriptura superasse amorem perfectissimum, qualis est inter virum & mulierem, quo nullus maior esse potest,quia constat ex similitudine naturæ, & dissimilitudine sexus, quæ diuersitas est incitamentum amoris.

Ezech. 1.

1. Reg. 1.

Abul.

Huiusce rei documentum esto illa collatio vestium Iosephi Gen. 37. cum veste Christi Lucæ 23. Vestis Iosephi erat polymita diuersorum colorum. *Fecit ei Pater suus tunicam polymitam.* Vestis autem Christi erat alba vnicolor. *Indutum veste alba*, nempe ab Herode. Illa ergo diuersi coloris erat amici ad amicum,ista vnius coloris ad inimicũ; versicolor Iosephi innuebat amorẽ Patris: vnicolor Christi indicabat odium Tyranni. Quòd amor delectatur diuersitate, non similitudine. Non ergo est excludenda,imo aduocanda ad amorem diuersitas.

Illud compertum est, amicitiam causam esse similitudinis, & æqualitatis, & pares amantes facere, quod affirmat Tullius in Lælio. Tollit itaque discrimen dignitatis, conditionis, fortunæ, sociat amicos ut in vnum coalescant. Eo Amor morti (quis credat?) similis, quòd sicut hæc æqualitatem inter omnes etiam inęquales inducit, & omnes sua falce metitur, & metit, & in vnũ fascẽ colligit, ita & amor suo vinculo nectit omnes, & colligat, & æquales reddit. At mors id præstat separando, Amor iungendo. Mors euertendo, Amor ædificando: Mors dissoluendo, Amor nectendo, & copulando. Audiamus Poetam de morte.

Horat. ode 4. lib. 1. *Pallida mors æquo pulsat pede*
Pauperum tabernas, Regumque turres.

Auscultemus alium.

Ovid. 3. Metam. *Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur*
Maiestas, & Amor.

Mors æquat Reges, & subiectos, Nobiles, & obscuros: iuuenes, & senes, miscet coronas, & galeros, sceptra, & baculos, gladios, & calamos, & in vnum aceruum coniicit. Amor ęquat Principes, & subditos, optimates, & populares, doctos, & indoctos. Togas Sagis, Purpuras abollis, Tiaras pileis coniungit. Excipe finem, cætera conueniunt morti, & amori, mors quippe eò tendit vt dissipet, Amor vt seruet. Finis mortis cinis est. Amoris vita. Mors incedit metendo. Amor nectendo. Exæquauit amor Nestorem Agamenoni. Phænicem Achilli. Apellem Alexandro. Phalereum Ptolomęo. Cyneam Pyrrho. Panætium Scipioni. Virgilium Augusto. Horatium Mæcenati. Omne discrimen fortunæ sustulit, ut maiestatem cum amicitia coniungeret. Amoris peritus Ionathas nihil prius fecit, quàm spoliare se vestibus, & armis, quibus se Principem ostentabat, ut discrimen tolleret inter se, (1. Reg. 18.)

& amicum Dauidem: qui eis indutus repræsentabat Principē Ionathan, qui sibi postea vestes alias similes accommodauit, ut alter alterum referret. Idem præstitit Alexander erga Ephestionem sibi charissimum, quem quòd vidit fulgētem auro, micantem gemmis, Regio insignem cultu Sisigambis Alexandrum existimauit. Quæ maximè sunt diuersa ea iungit amor & sociat. Qui discrepantius quàm Hercules robustus, & Omphale delicata? Amor tamen Herculem euirauit in feminam. Quemadmodum idem amor Achillem in Deidamiam fregit. Nodosam clauam in teretem colum, & trabalem hastam in tenuem fusum conuertit. Hunc torquebat qui illam intorquebat. Vbi est amicitia, nulla est dissimilitudo; quod natura facit in gemellis ut indiscreti sint, hoc agit amor in amicis, ut discerni non possint. Quare Iudas producturus Christum signo usus est, quo eum à Discipulis discerneret? *Quemcumque em osculatus fuero ipse est tenete eum.* & dictum præstitit osculo. *Osculatus est eum.* Et cur non satis fuit hoc signum ad Christum penitus discernendum? cùm ipse accepto osculo interrogauerit. *Quem queritis?* & semetipsum prodiderit clamans, *Ego sum*, ultra osculum voce propria testatus esse se Christum. Præterea quid opus erat his signis? Nam Christus inter omnes eminebat tamquam Magister, & Pastor, & satis erat cognitus per doctrinam, per miracula, palàm quippe prædicabat, & curabat. Insuper maiestas ipsa amoris, & corporis habitus ipsum Christum esse clamabant. Res est plena Mysteriis. Christus nuper Apostolos suo corpore refecerat, & Sacramento illo amoris eos in se conuerterat, & in eos ipse conuersus fuerat *In me manet & Ego in eo*. Pares itaque sibi comites, & similes reddiderat, vt indiscreti essent, & nihil inter se discriminis retinerent, itaut necesse fuerit eos,

Curt. Plut. Matth. 26. Ioan. 18. Lucæ 22. Ioan. 6

tum inter se, tum ab ipso Christo discernere; ne alius pro alio caperetur.

Iuuat hæc similitudo ad amorem contestandum: vnde Christus solebat se appellare Filium hominis, nō Filium Dei, vt eo nomine hominum amorem conciliaret. Non contentus naturam humanam assumpsisse, voluit etiam referre: *Habitu inuentus vt homo*. Esse volebat homo, & apparere inuentus uti thesaurus. Noluit *phantasma* putari, & hoc inter hæreses deputauit, seque veram carnem sumpsisse testatus. Idcirco *Verbū Caro factum dicitur*, vt quod in homine crassius, & grauius esset repræsentaret. Tristari, turbari, mærere, lacrymari visus est, ne quis de eo an verus esset homo
Ioan. 20. dubitaret. Spiritum negauit se esse: *carnem & ossa* obiecit. *Spiritus Carnem, & ossa non habet*, gloriabundus, si homo, & crederetur & appareret.

Et vero vbi deest ista similitudo, societas, & solatiū parum prosunt. Erat Christus ad extremas angustias redactus morte impendente in horto Gethsemani, indigebat confortatione, igitur *Apparuit ei Angelus de Cœlo confortans eum.* Adest Angelus consolator, in quo desideratur similitudo naturæ: videamus quid euenerit. Post eius aduentum, & confortationem ait Euangelista. *Et factus in agonia prolixiùs orabat.* Prius ponitur in Sacro Textu officium Angeli consolantis, & posteriùs: *Confortans eum, & factus in agonia*.

Ponderemus piè mysterium huius loci. Primum constat Angelum confortasse Christum. De modo quæritur. Vulgo solet pingi Angelus cum calice in manu, quasi propinans Christo; hoc modo confortabat Christum animando illum ad calicem bibendum, & in manu Angeli fiebat suauior potus passionis ad Christi solatium. Sed quomodo factus est Christus in agonia? quia scilicet Angelus apparebat in specie hu.

mana,

mana, vt ait Lyra, & habebat se ad modum consolantis; consolabatur, sed non compatiebatur; quia reuera non erat homo, sed Angelus, & Spiritus gloriosus, vnde potest dici, quòd non erat perfectus consolator, quia non erat patiens doloris, qualis est homo passibilis, & mortalis. Adeo vt Christus hoc sensu dicatur à Paulo *posse compati infirmitatibus nostris* propter assumptam humanitatem, sic enim ait ad Hebræos cap. 5. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*; homo enim factus dolet, & compatitur. Idcircò ipsemet, vt ponitur in hoc eodem cap. veniebat ad discipulos suos semel, & iterum, quasi in eis vellet compassionem, & consolationem proportionatam, & cum dolore coniunctam inuenire. Confortabat verò Angelus, sed desiderabatur in eo vera humana natura ad officium compatiendi, quanquam ei non deesset reliqua virtus ad confortandum. Tantum valet ad perfectam amicitiam similitudo naturæ. Lyra hic.

Amicitiæ hic effectus est, non alterius affectus, qui proueniat ab alia natura, & conditione. Congruentia requirenda est naturæ ad naturam, & mutua amatio, & redamatio, qualis inter dissimiles natura esse nequit. Alio exemplo rem declaro. Iacob veniens è Mesopotamia cum suis, & familijs, & facultatibus, cùm inaudisset fratrem suum Esau, quem tunc inimicum putabat, cum viris quadringentis obuiam sibi venire pertimuit, ne quid ab eo damni pateretur. Igitur diuisis turmis, & præmissis muneribus expectauit fratrem Esau, & mansit solus. Interim descendit quidam vir, & *Luctabatur cum eo vsque mane*. Cōsolatoria erat illa species luctantis Viri, qui sanè Angelus erat, & Deum repræsentabat. Igitur ea lucta erat species quædam futuræ colluctationis cum fratre Esau, ad quam eum ille luctator præparabat, ac exercebat, & spem afferens, in Gen. 32

amo-

amorem esse vertendam concertationem cum Esau? Itaque amorem profitebatur amplexando Iacob, & amplexu euentum felicem significando. Amicè igitur luctabatur. Expectemus euentum. Accidit vt ex illo complexu Iacob vulnus acceperit & clausus euaserit. *Tetigit*, quippe Angelus, *neruum femoris eius, & statim emarcuit. Ipse vero claudicabat pede.* Quorsum istud? si luctator ille amico veniebat animo, & complexu declarabat affectum auxiliantis, & ad pugnam erudientis Iacobum, quomodo percussit amicum, & læsit? Responsio pendet ex notitia personæ luctatoris: erat Angelus alterius naturæ homini dissimilis, aberrauit ergo à remedio, & solatio, & leuamentum conuertit in tormentum. Non erat congruens solatium ab eo cuius incongrua erat natura. Deerat amicitiæ fundamentum; non potuit alienus officium amici implere. Species erat hominis, res Angeli. Igitur solatium fucatum, & speciosum fuit, non proprium, nec verum. Damnum accepit Iacob, non adiutorium, quia diuersa natura diuersum præstitit effectum. Amplexus Angeli attulit detrimentum, qui si foret hominis, lucrum, & remedium attulisset. Talis fuit amplexus
Gen. c. 33 Esau capite sequenti, qui pacem & salutem peperit Iacobo, quamquam videretur ab inimico venire, quia inter vtrumque erat similitudo naturæ, & consortium sanguinis: *Amplexatus est eum*, ait Textus, & addit *Stringensque collum eius, & osculans fleuit*. Esau amicus ex inimico factus virtute amoris, & postea appellauit Fratrem, redditis muneribus, quæ Iacob amanter obtulerat. *Habeo plurima frater mi, tibi sint tua*. Verùm vrgente fratre penè inuitus dona recepit, sed comitem se obtulit. *Gradiamur simul*, custodem se præbens Fratri, quod est munus Angeli, & nullo prætermisso amici officio cum beneuole tractauit, itaut ad eum Iacob di-

dixerit. *Sic vidi faciem tuam, sicut vultum Dei*: non solum Angeli, sed etiam Dei. Vltra Angelum progressus est Esau benefaciẽdo, Deum repræsentauit. Itaq; Iacob in Angelo, qui præseferebat speciem Dei vidit vultum ferientis hominis, & in Esau homine vidit vultum liberantis, & auxiliantis Dei. Hinc apparet quomodo exigatur inter amicos, & quò tendat, & quatenus procedat similitudo.

CORONIS

PAR AMICORVM

Damon, & Pythias.

Amore & animo pares: Fortuna dispares:
Damon reus peractus destinata
Necis die;
Pythias liber: anxius tamen vicem amici Damonis.
Hic cum iustam proficiscendi
Ad suos commendandos
Moram
Ab Rege postulasset. Impetrauit. Ea lege
Vt vadem pro reditu
Daret.
Præsto fuit Pythias vadenti amico vas,
Translato in se periculo
Fidus futurus.
Fidem suam Damon cum osculo Pythiæ
Obligauit.
Imminente decretorio die spes, & metus
Agitabat urbem: vulgus
Malè ominari,

Py-

Pythias bene ſperare. Effluxit tempus,
Illuxerat: nec ſpei
Lux erat.
Nempe ad tam clarum facinus adulta opus fuit
Die.
Hora præſtituta, cùm iam paratus laqueus eſset
Pythiæ collo inferendus
Siſtit ſe Damon
Et inſerit collum.
Plaudente turba; vno Pythia gemente.
Repetiit tamen prius fidem datam Damon,
Ceu pignus reciperet.
Quam vbi reddito oſculo, accepit, liberum dimiſit
Vadem, planè inuitum.
Stupuit Rex, & vtrumque liberum eſſe iuſſit.
Magna amicitiæ gloria, quam vitę ambo
Prætulerunt.
Addidit pretium Rex, precatus, vt ſe ad amicitiam
Tertium adſcriberent.
Ægre id concedere viſi ſunt, ſed permiſerunt
Ne ingrati viderentur.

EPIGRAMMA.

CVr, rogo, Damonem Regis non ſuſtulit ira,
Qui vade dimiſſo iam reus vnus erat?
Nam quia communis fuerat vita vna duobus,
Hoc moriente alius commoriturus erat.
Cùm reus ergo foret patrati criminis vnus,
Non poterat iuſta plectere morte duos.
Tanta fides Regem præſtrinxit amore duorum:
Æmulus obtinuit tertius eſſe Comes.
Oblituſque ſui poſita feritate tyrannus
Ante ferox odijs, egit amore Patrem.

De

De Amicitia Iuuenum, & Senum.

LECTIO SEXTA.

Ad Textum Aristotelis lib. 8. c. 2. Ethicor.

καὶ νέοις δὲ πρὸς τὸ ἀναμάρτητον, καὶ πρεσβυτέροις πρὸς θεραπείαν.

Adolescentibus conducit Amicitia, vt non peccent; Senibus vt colantur.

DOCVMENTVM VI.



Vuenum ergà Senes reuerentia. Senum erga iuuenes cura. Alcibiades, & Socrates exemplo sunt. Audire & obaudire Senibus oportet. Quāti sit sensus auditus ad fidem, ad doctrinam. Christus multis docuit. Senum voces oracula. Eorum *consilia capienda. Iethro probauit, & Æneas. Senes minimè falli solent: iuuenes solent. Id Iosue, ac Moyses præstant. Cur Moysis facies cornuta? Intellectus bonis consilijs mactandus. Qui contemnit Senum consilia, & monita perit. A Roboamo, & Achabo documenta petuntur. Correctionem pertinere ad Senes* Heli *monuit, punitus, quia spreuit. Qui eam detrectant peccant. Doctrinę veritas Sacra est habenda, nec immiscenda negotijs sacularibus. Id Christus, & Eliseus verbis & factis docuerunt. Lacedæmonum in senes obseruantia commendatur.*

CORONIS
Par Amicorum
Pirithous, & Theseus.

partem sui Corporis vacare cruciatu permisisset, aures tamen illæsas omnino esse, intactasque voluerit. Caput spinis dedit, genas alapis, os felli, collum funi, latus lanceæ, manus, & pedes clauis, tergum flagellis, ne oculis quidem pepercit: velamine tegi, obducique permisit. Solas aures carere cruciatu voluit; nusquam legimus eas fuisse vel vulneratas, vel obturatas, doctrinæ reuerentia, quæ per aures ingreditur, & cum Verbo est coniuncta. Aperiebat aures, & sanabat, non claudebat, nec lędebat. Clamabat *Epheta*, id est, *adaperire*, vt doctrinæ locus esset. Tandem Malchum, sanauit à vulnere accepto, & aurem amputatam restituit, Petrumque reprehendit, quod aurem violasset cùm esset futurus Pastor, & Præceptor, quem oporteret seruare aurem, non perdere. Alienum erat à Magistro vulnus inferre auri. Nec illud vacat Misterio, quòd vulgo creditur Seruum Malchum eum fuisse, qui lanternam manu præferebat, quæ lucem disciplinæ significabat. Non tulit Christus hominem doctrinæ aptum feriri in ea parte, per quam ingreditur disciplina. Vt alii percuterentur tolerari utcumque poterat, non poterat verò; ut homo capax doctrinæ, quæ iam in lanterna elucebat in aure vulneraretur. Et quidem meritò, quia inter sensus primas habet auditus ad fidem. Vnde Ioannes *Audiuimus*, *& vidimus* praeposuit oculis aures. Hortabatur Pater Discipulos in spectaculo gloriæ, quod oculos rapiebat, vt filium suum Magistrum audirēt. *Ipsum audite*. Redeo ad Alcibiadem. Obseruat in eius vita Plutarchus eum dum Socratem audiuit, eique obaudiuit, in officio se continuisse, & optimi Ciuis, ac Principis partes pręstitisse; cùm eius consilia, & monita contempsit rempublicam perdidisse. Si Arius Alexandrum, Ruffinus Hieronymum; Iulianus Augustinum audire mallent,

Marci 7.

Luc. 22

Ioan. 1.

Matth 17.

malè non audirent, nec se prauis erroribus inuoluerent. Licentium carum ante Augustini Discipulum fefellit licentia iuuenilis, ne Magistro obtemperaret, quem si auscultaret perfectius vitæ institutum tenuisset. Sunt qui hac ætate imitentur Licentium, & Augustini doctrinæ refragentur, & corrigentibus irascantur. Tantus vir & Propheta Moyses Senem Iethro monentem, & obiurgantem se auscultauit, eique acquieuit, & profecit. Audienda est vox senis venerabilis ceu vox Dei, ac eiusdem Consilia pro oraculis capienda: Dormiebat in templo Samuel Puer, & quidem non
1.Reg. 3. longe ab Heli Sene, & Magistro, vocatus à Deo experrectus accurrit ad Heli, quasi ab eo vocatus esset, negauit hic *Non vocaui*, inquit, *te: reuertere & dormi*. Iterum, ac tertiò vocatus Puer adijt Heli, quòd sibi omnino persuaserat ab eo accersitum, cum tamen vox illa Dei esset, non Heli. Cur Samuel credidit se ab hoc,
Lyra. non a Deo vocari, vti notat Lyra, *Credidit quod à Deo vocaretur*. Scilicet quia senis Magistri vocem habuit pro diuina. Tanta erat erga senem, & præceptorem reuerentia. Non putauit, vel in templo alium præter Heli esse locuturum. Eadem opinio insedit animis etiã Ethnicorum. Talia putabat esse Nestoris Consilia Agamenon ille Rex Regum apud Græcos, qui cum omnibus imperaret, vni tamẽ Nestori obaudiebat. Æneas Dux pius, & prudens, Nautis in re grauissima consilium cepit. Causam attulit Virgillius

Tum Senior Nautes vnum Tritonia Pallas
Ænei.5 *Quem docuit*.

Senem quippe eum, ac doctum à Pallade nouerat: Præstitit illius consilium.

Fallitur in dubijs Iuuenis: non fallitur Senex, Rem tenet hic, & scopum attingit. Vtri credendum? Seni. Descendebant de Monte Moyses Senex, & Iosue Iuuenis,

nis, quo tempore populus Vitulum aureum formauerat, eumque adorandi causa cantu, & plausu celebrabat. Auditus clamor Moysem, & Iosue in diuersas opiniones distraxit. Iosue dixit: *Vlulatus pugnæ auditur in Castris*. Moyses contra: *Vocem*, inquit, *cantantium ego audio*. Longè diuersi sonitus, & longè diuersæ opiniones. A diuerso ingenio vtriusque. Iosue Iuuenis bellicosus putabat clamorem esse militarem. Moyses Senex mansuetus concentum pacificum. Verum iudicauit Senex Moyses, non Iuuenis Iosue. Iterum subiungit Sacer Textus, *Cùmque appropinquasset ad Castra vidit Vitulum, & Choros*. Harmonia erat, & concentus, non vociferatio, nec ululatus. Tam certa est Senum coniectura. Ætati tribuenda discretio; senectus prærogatiuam tulit. Ac obiter noto prudētiam Moysi, qui postea c. 34 prætulit in vultu suo speciē illam cornutā bifidi luminis, ut se se peccato populi conformaret, perinde ac peccatum, & pænam in se transferret. Peccauerat populus fabricando, & adorando Vitulum cornutum: ecce Moyses sumpsit speciem Vituli repræsentans in facie cornutum signum. *Cornuta erat facies eius*. Siue quòd miserando transtulit in se populi sui scelus, siue quòd per quamdam speciem iustitiæ populi scelus Principi imputabatur. Hoc placet. Itaque reum se luce, & palam fatebatur Moyses Princeps, & cornuti Vituli crimen sibi adscribebat. Quid? quòd cornutus ille splendor Lunam significabat, quæ minuitur cùm aperit Cornua, ad indicandum, dignitatem Principis minui peccatis subditorum: nisi forte quia in Sacris litteris significāt Crucem: *Cornua in manibus eius* Innuere voluit Moyses illud Populi facinus sibi Cruci, ac tormento esse; vel paratum esse se ad Crucem pro Populo subeundàm in remedium peccati, ac in eo Christum referebat, qui pro peccatis

Exod. 3.

Exo. 34.

Abacuc. 3.

Mundi

Mundi Crucem. & Mortem est passus.

Redeo vnde diuerti. Consilia Senum admittenda, imo & optanda sunt. Iuuenis de supercilio suo detrahere debet, & obtemperare Seni. Non est id ignominiæ vertendum, imo prudentiæ, & honori dandum. Nihil minuitur de intellectu cum obsecundatur Sapienti: imò crescit virtus illius cùm mactatur in gratiam consiliantis. Modò percipio, quod cecinit Psaltes
Psal. 110. cum dixit. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. Difficilis sententia. Quomodo *facientibus eum*? Cum intellectus qualis qualis sit, sit ingenitus à natura omnibus, qui eum non faciunt arte, sed accipiunt natura. Non ergo fit, sed innascitur. Alia est doctrina Psaltis. Docet intellectũ in nobis esse, & affirmat bonum fieri à nobis, hoc est meliorem, quando illum sacrificamus consilijs alienis: nam *Facere* significat sacrificare, & huic *facientibus* significat sacrificantibus. Igitur cùm quis suum intellectum sacrificat alterius doctrinæ, & cõsilio bonum eum reddit, idque voluit docere Dauid: quemadmodum dixit Paulus: *in captiui-*
2.Cor. 10. *tem redigens intellectum, in obsequium fidei*, docuit intellectum obaudientem fidei captiuari, & seruire Deo reuelanti, in quo libertas summa, & gratia est, quæ non officit intellectui, sed proficit. Perficit intellectum, qui eum mactat alienis consiliis. Qui se gubernandum tradit sapienti ducendum ei se præbet, & sapit. Eum ab eo manuductus operatur. Inuenit rationem in manu deducentis. Errare nequit: vtitur aliena manu, quasi proprio intellectu. Nota est phrasis il-
Ps. 77 la Dauidis *In intellectibus manuum suarum deduxit eos*: ceu manus habeant intellectum. Sanè; dum alij manuducuntur ab aliis sapientibus, in eorum manibus intellectum inueniunt; & quot ab iis consilia capiunt, tot intellectus accipiunt. Redduntur intelligentes manus,

nus, quia intelligentiarum more gubernant eos, qui sibi obaudiunt. Hæ manus ductrices, sunt intellectrices: quemadmodum enim Cæli ab intelligentiis mouentur, ita & homines, qui bona Præceptorum consilia sequuntur ab intelligentiis gubernantur. Propterea dicitur Deus *fecisse Cælos in intellectu*, hoc est posuisse eos in manu intelligentiarum, qui sunt spiritus intellectiui, & vtuntur intellectu pro manu. Et sicuti dixit. *In manibus tuis tempora mea*, quia tempora fiunt per motum Cœli ab intelligentiis cientibus Orbes, ita & mores fiunt per tractum bonarum mentium, quę imitantur intelligentias motrices sphærarum Cælestium, nempe cientes, & scientes pro tempore eos qui consilio indigent suo, ducere, ac gubernare. Psal. 135.

Examinandum tamen est diligenter, à quo veniant consilia. Nam si à Iuuene, non sunt salubria, propter defectum experientiæ, vti docet hic Aristoteles, & Ciero in Lælio, & Catone. Si à Sene idonea sunt, & vtilia. Vulgaris locus est de consilio dato Roboamo Regi 3. Reg. c. 12. quod ei perniciem attulit, quia spreto consilio Seniorum salubri, & salutari, adhæsit sententiæ iuniorum. Luit ergo pœnam suæ temeritatis amissa maxima parti Regni. Supplicium hoc fuit culpæ commissæ à Roboamo in negligendo consilio senum, quibus reuerentiam, & obedientiam præstare debuit. Gessit se Roboam pueriliter erga senes, quemadmodum illi pueri, qui 4. Reg. 2. neglexerunt, & illuserunt Eliseum caluum Senem clamantes per contemptum: *Ascende Calue: ascende Calue*, quasi careret consiliis, qui carebat capillis. Eam iniuriam ulti sunt Vrsi de saltu, à quibus irrisores Pueri fuerunt dilacerati. Calua Senum capita carent capillis sed abundant consiliis. Capita Iuuenũ abundant capillis, carent con- Arist. Cicer. 3. Reg.

siliis

filiis. Sanson, & Absalon documento sint. Vtrique
Iud. 16. cæsaries longa, & prolixa exitio fuit; ille traditus à
2.Reg. 18. Dalila. Hic suspensus è quercu leuitatis suę pænas dederunt. Vnus capillus Senis Prophetæ Abacuch valuit
Dan. 14. pluiquam tota illa crinita Absalonis & Sansonis sylua capillorum. Monuit me ista Cæsaries Absalonis alterius præcepti: Videlicet. Non esse fidendum consiliis inimicorum, sed capienda omnino esse amicorum consilia, qui nobis chari, & cogniti sunt. In qua
2.Reg 17. grauiter peccauit Absalon, cum relicto amici Achitophelis consilio secutus fuit Chusai Arachitæ inimici sententiam. Hortatus fuerat Achitophel Absalonem, vt festinanter Dauidem imparatum noctu opprimeret, & quidē salubriter è re Absalonis. Verum hic non acquieuit eius consilio: audire voluit Chusai inimicum, qui contrà persuasit moram, & decepit Absalonem. Interim quippe Dauid fuga sibi consuluit, & tempore capto conflauit copias, quas eduxit in aciem, & opposuit hostibus, & vicit, pereunte miserrimè Absalone, cuius incogitantia fatalis ei extitit, ac suis. Stultè egit, dum reliquit Achitophelis consilium, cari, & amici; & secutus est perniciosum Chusai perfidi, & inimici; ac documentum fuit inimicorum consilijs non esse fidendum, fidendum senten-
2.Reg. 17. tiis amicorum. Idque diligenter obseruandum: vtrun-
2.Reg. 18. que, & Achitophelem, & Absalonem suspendio interiisse, alterum in trabe, alterum in quercu. Ambo mortui in aere suspensi, Absalon propter leuitatem propriam, Achitophel propter leuitatem alienam. Capitale inter cetera crimen Regis Achabi fuit nolle corrigi à Propheta anonymo lib. 4. Reg. cap. 20. vbi dicitur *Audire contemneus, & furibundus*. Inter furiosos numerandus est, qui correctionem detrectat. Docilis
Ioan. 6 esse debet, qui vult proficere. *Erunt omnes docibiles Dei*,

que

quæ singularis est virtus. Hanc postulabat à Deo Salomon sapientissimus: *Dabis seruo tuo cor docile*, & ille sapiens, qui Assistricem sibi Sapientiam habere optabat. *Da mihi Sedium tuarum assistricem Sapientiam*, quia docilitatem partem sapientiæ esse ducebat. Ille Sapiens, qui docilis. Propterea Christus clamabat, *Qui habet aures audiendi audiat*, optabat homines dociles, promptos ad audiendum. Quid tamen sibi vult illud *Aures audiendi*? Aurium quippe est audire non videre, nec tangere. Latet doctrina; sunt enim quidam, qui habent aures, sed audire nolunt, nàm obstinati nolunt corrigi, nec audire obiurgantes. Audiunt, sed non curant, aliud agunt, cùm audiunt. Vident, gustant, odorantur, tangunt, non habent aures audiendi, quia non sinunt aures officio suo fungi, habent aures resistendi, non audiendi, corripi nolunt. Subtrahunt auditum. Ingens profectò scelus est nolle corrigere, & nolle corrigi. Delinquunt Senes si non corrigunt. Peccant Adolescentes, si negligunt correctionem. Adeout qui male corrigit ingentis culpæ reus sit Hoc nos docuit Scriptura 1. Reg. cap. 2. vbi habet, *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, nec erat visio manifesta*. Erat, inquit, rarus, & non frequens, ut antea. *In diebus illis*, idest tempore Heli Sacerdotis. Lecto Sacro Textu causam inquirenti huiusce defectus sermonis, & visionis manifestæ Dei, illud occurrit. Heli Sacerdotem, vt habetur proximo capite, defuisse debitæ correctioni filiorum, & filios eam contempsisse; nam si ille hos seriò, & seuerè increparet, ij fortasse à suis sceleribus, quæ ibi commemorantur grauissima, abstinerent. Quare peccauit grauiter Heli, & Deum à se ab alienauit, & quasi foret extraneus, qui linguam non intelligeret, cum eo minimè Deus loquebatur: nàm Heli *extraneus* sonat. Egregiè Rhabanus Maurus. Heli

3. Reg. 3. — Sap. 9. — Luc. 8 — 1. Reg. 2.

Raban apud Hugon Card. *interpretatur extraneus. A Deo enim alienus est qui subditos non corripit.* Omiserat doctrinam correctionis, amisit doctrinam reuelationis: *nec erat visio manifesta.* Ambulabat in tenebris, nec quid euenturum esse sciebat. Opus erat, vt Samuel futura sibi reuelaret nomine Dei loquentis. Agebatur eius negotium illo ignorante quid ageretur, nec sibi cauere poterat *à negotio perambulante in tenebris.* Nam defectus correctionis plerunque coniunctus est cum negotiatione. Quippe quòd ille qui non uult corrigi confugit ad negotiationes, vt occultet errores suos, & euitet correctionem. Contra hos insurgit Dominus, qui non patitur in domo sua, in schola sua huiusmodi negotiationes. Matth: 21. Ingressus templum, vbi docere solitus, inuenit ibi vendentes, & ementes, & indignatus facto flagello de funiculis eiecit eos: ac in primis exarsit in alios, qui mensas numorum, & cathedras Columbarum exposuerant. Auctores hìc mensas illas, & cathedras doctrinas sacras interpretantur. De Columbis patet, quæ significant Spiritum Sanctum, & cathedras sacrarum litterarum indicant. Mensas Hugo Cardinalis intelligit Sacras Scripturas. Vtrasq; euertit Dominus. *Mensas numulariorum, & Cathedras vendentium Columbas* ait Euangelista, *euertit*, eodem verbo usus. Quare? ratio est in promptu apud Ioannem cap. 2. *Nolite*, inquit, *facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Prohibuit negotiari circa veritatem doctrinæ. Non est negotium doctrina. Euertit doctrinam, qui eam in negotium vertit. Preterea vsus est illo verbo Euangelium, vt indicaret negotium facessere Iudicibus, qui cum ijs habent super doctrina negotium. Columbæ dictant è Cathedris oracula Spiritus Sancti. Audienda sunt hæc, & accipienda citra negotiationem. Idcirco quæstiones de veritate alienæ sunt ab Aulis, & Palatiis. Contrahendæ

Ps. 90.

Hugo Card. hic.

dæ ad Scholas, & templa. Vnde Christus *Eram*, inquit, *docens in Templo*. Disertè posuit *templum*; ut alios locos excluderet profanos. Quod exemplo præstitit coram Pilato, & Herode. Nam Herodi nihil respondit. Pilato quærenti *Quid est veritas?* Responsum non dedit. Cùm ipse, & veritas, & verbum esset, noluit tamen eam in Aula, & Palatio prędicare, quòd erat locus alienus. Absurdum igitur erit quæstiones ad veritatem, & doctrinam spectantes, à Sacris locis ad alienos, & profanos euocare. Ibi definiendæ sunt, vbi Doctores, & Professores sunt. Quemadmodum & correctiones, & adhortationes intra Ecclesiam fieri debent. *Dic Ecclesiæ*, ait Christus, non Aulæ, non Palatio, vbi negotiandum, non docendum. Illustre testimonium est illud lib. 4. Reg. c. 4. vbi inducitur Propheta Eliseus loquēs ad mulierem hospitalem, quæ domi ei suæ habitaculum præparauerat, *Ecce*, inquit, *sedulò ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi? Nunquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, siue Principi Militię?* Distinxit Propheta inter doctrinam, & negotium: non obtulit operam suam ad doctrinam, sed ad negotium, quia doctrina nec ad mulierem, nec ad Aulam pertinebat. Remisit negotia Regi, & Principi, doctrinam sibi & Sacris reseruauit. Huiusmodi negotiatio facit, vt Iuuenes errantes contemnant Senes emendantes, nec se ab ijs argui, & corripi patiantur. Deterreat illos consilium Sapientis. *Coram Cano capite consurge*: sed hodie non assurgitur senibus, sed insurgitur in Senes; adeo vt desideranda sit Lacędemonum Respublica, in qua sola expediebat senescere, & in qua Lysandro auctore affirmat Tullius *honestissimum fuisse domicilium senectutis*.

Marc. 14. Lucæ 23. Ioan. 18. Matth. 18. 2. Reg. 4. Leuit. 19. Plut. in Apoph. Cic. in Caton.

CORONIS
PAR AMICORVM
Pirithous, & Theſeus.

Candidatus apud nigros manes Pirithous;
Imo & Proſerpinę
Procus procaciſſimus.
Plutonis riualis.
Amicum eò inuitauit Theſeũ monſtrorũ domitorẽ;
Sperans inuentum iri ab eo
Filum ad Stygios
Mæandros euoluendos.
Errauit vterque: nam Labyrinthi errores
conſumpſerant filum.
Deinde cum Cerbero, non cum Minotauro
Res futura.
Stricto ferro aggreſſus eſt vmbras, quæ aurea rami
Fatalis vmbra
Flectendæ.
Nam & inferi flecti neſcii
Capiuntur auro.
Charon naulo fraudatus Cèrbero ingruẽtes tradidit;
Cerberus qui offa medicata erat
Sopiendus ſtultè gladio
Petitus.
Ergo irruit in Pirithoum triplici rictu ferox:
Dilaniauit.
Et offam ex eo fecit.
Et ſtropham cruentam luſit.
Theſeus accurrit: quem bis ſeruauit, quòd amicum ceu
Vm-

Vmbra ſequebatur.
In vmbrarum loco vmbram profuit agere: extra Solē,
Manes ei dederunt manus.
Pirithoum trecentæ catenæ vinxerunt : nequid
audax vmbra moueret.
Theſeum amicus Hercules liberauit. Et hoc datum
A Manibus amicitiæ
Illi qui parcere neſciunt, amicis pepercerunt. Adeo
Amicitia etiam apud inferos
Dominatur.

EPIGRAMMA.

VT ſibi nata Iouis fieret Proſerpina coniux,
Pirithous Stygios auſus adire lacus.

Theſea magnanimum Comitem ius fecit amici:
At diuerſa tamen Sors vtriuſque fuit.

Pirithoum centum vinctum tenuere catenæ:
Theſea amicitiæ liberat alma fides.

Cui ius non vnquam, non fas fuit, impius Orcus
Duxit amicitiæ ius violare nefas.



LE-

LECTIO SEPTIMA

Ad textum Aristotelis cap.4. lib.8. Ethic.

De raritate Amicorum.

Ὀλίγοι γὰρ οἱ τοιοῦτοι. *Pauci enim tales amici.* & Rursus lib.9.cap.10. Οὐδ' ἐ γὰρ εὐδέχ εσθαι δοξειεν ἄν, πολλοῖς εἶναι φίλον σφόδρα. Non enim videatur, natura ferre, vt quis sit multis valde amicus. Præterea τοῦτο δὲ πρὸς ἕνα. Hoc autem ad vnum fit.

DOCVMENTVM VII.



Nio gemma symbolum vnitatis Amici, & pretij ob raritatem. Pauca amicorum Paria: in multis seculis. Duo sunt & iusti, & necessarij. Tertius Amicus. Tertius Cato. Non habendus nisi per miraculum, vti Raphael Tobiæ. Copia in amicis noxia. Angelus custos vnus. Typus amicitiæ: Danielis loco probatur. Confirmandus tum Sacris, tum profanis. Solatium, & remedium ab vno, non à multis Iobi exemplum confirmat. Ioannes Euangelista germanus Christi amicus. Ex duobus vnum conflari docent Angeli ad sepulchrum. Raros amicos esse cùm Saul accurrens ad Samuelem mortuum, tum Christus suscitans Lazarum significarunt. In Politicis plures Amici admittendi.

QVi ad Orientalem plagam vidit parturientem concham, hianti ore Cœlum anhelantem, & Auroræ roridam lacrymam in apertum sinum accipientem, eaque grauidam sese claudentem, & in vdo vtero gemmeum fætum formantem, & auido nisu v-

nionem

nionem pretiosum parientem: is demùm aspexit expressam amicitiæ nascentis imaginem. Vnio quippe vnus, & figura rotunda excludens consortium, & tangens, & tactus in puncto, quo pungit socium, & semouet ne se alteri commisceat, & perdat raritatem: solitudine contentus, & peregrinitate ad pretium, quamuis non excludat alterum parem, diuersum tamen, & separatum, quòd ex similitudine duplicat pretium, exclusa vnione cùm sit vnio, vnus secum, seiunctus ab alio, vt sine altero naturam seruet, similitudinem desiderat, ex qua pretium augeatur. Plures tamen non expetit. Satis est enim vnus, & par, ne inter multos raritas pretiosa pereat. Itaque gemma est vnio, quæ geminatur ex altero, sed gemit in pluribus, cùm sit communis. Nec enim amicitia complures paritur: vnus ei amicus satis est, & alter altero contentus viuit, vt docet Aristoteles lib. 8 c. 7. & lib 9. cap. 10, *Amicitia*, inquit, *est nimius amor, & hic ad vnum tantum naturaliter tendit.* Monstrosa est amicitia plurimorum. Duos exigit; quantum satis est, vt sit amor mutuus ex amatione, & redamatione conflatus. Itaque vnio symbolum est amici: vnus dimidium valet: duplex duplum. Duo amici iustus est numerus: idcirco par amicorum celebratur. Copia nocet amantibus. *Quid enim*, inquit Ambrosius lib. 3. de officiis, c. 16. *Est amicus nisi consors amoris: vt vnum velis fieri ex duobus cui te tanquam alteri committas?* in quem sensum laudat Augustinus illum versum Horatij

Arist.

Ambr.

Lib 4. Conf. cap. 4.

Et serues animæ dimidium meæ.

Amicus *est alter ego*, singularis, non multiplex. Itaque duo constituunt iustum, & necessarium amicorum numerum, *Pauca*, inquit Cicero, *ex omnibus seculis nominantur paria amicorum*, Hercules, & Theseus; Orestes & Pylades; Damon & Pythias; Æneas & Achates; Nisus

In Lel.

sus & Euryalus; Lælius, & Scipio. Impari numero gaudent alia: Amicitiá pari. Deus adorandus vnus natura trinus personis, quòd adoratio inuoluit reuerentiam. Amicus par amandus ob vnionem amoris. Hoc
Cant.2 docuit sponsa diuina *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vnus
Cant.1 vni. Locus indicat vnitatem: *Inter vbera mea commorabitur.* Ibi situm est cor. Vnum cor amicorum concordia. Hæc harmonia amicitiæ fit ex animarum vnione, non corporum. Propterea Ionathas dilexit Dauidem,
1.Reg. 18. *quasi animam suam.* Eam sibi *Conglutinauit*, ne plures admitteret. Tres vnà coniuncti, Geryones sunt, monstra
Æнei.6 sunt. *Tricorporis vmbræ forma*, teste Virgilio, Fabula est
Æнei.8 inter manes. Quòd si Herylus habuit tres animas apud Virgilium *Horrendum dictum fuit*, vt idem canit. Foret amabile, si anima vna esset in duobus corporibus, uti
August. ait Augustinus lib.4. Confes.cap.6. *Sensi animam meam, & animam amici fuisse vnam in duobus corporibus.* Herylus computatur in monstris. Feroniam quippe ferini ingenii matrem habuit. Peccatur in amicitiam cùm tenditur numerus vltra duos. Tertius amicus præter naturam est, & miraculo tribuendus; imo & inter adynata reponendus. Sicuti Catones duo fuerunt inter ceteros memorabiles, & tertium exclusei unt, quasi tertius esse non posset; vnde nata est paræmia *Tertius è Cœlo cecidit Cato.* Quasi adynatos esset, & supra naturam, ita & vltra duos amicos tendere natura non potest. Tertius enim amicus miraculo haberi potest: expectandus est de cœlo, sicut tertius Cato. Iuuat hanc doctrinam exemplum Sacræ Scripturæ. Comperimus in ea duos amicos veros, ac germanos, ii sunt Ionathas, & Dauid. Tertium, similem non inuenimus. Desideratur, vti tertius Cato. Opus est vt de Cælo veniat: nam terra tertium ferre non potest, cum duorum tantum ferax sit: quod quidem ita euenit. Tertius amicus

è cęlo

è cœlo venit, nimirum Angelus Raphael, qui datus est Tobiæ amicus,& comes. Tertius est vltra Dauidem & Ionatham. Verùm non est homo de gente mortali, sed Angelus de cælo lapsus, miraculo, non natura. Tertius è Cęlo venit Angelus,nouus Cato, carus, & rarus : hic tantum reperitur in superis, vt par aliud amicitiæ instituat. Animaduerto,cùm duo sunt amici, iustum, & necessarium numerum esse. In tabernaculo duo Cherubini, duo in templo Salomonis. Seraphini duo circa thronum Dei apud Isaiam;duo Angeli ad Christi sepulchrum apud Lucam, & Ioannem. Duo in Ascensione Domini in Monte Oliueti, duo Sancti Prophetæ in Mōte Thabor pro gloria Transfigurationis. Vnus Angelus Custos,& quasi amicus homini datus, non plures. Noto: cum Angeli Custodes inter se plures concurrerunt, inter se discordes fuisse, & secum pugnasse. Narratur Danielis. cap. 10. Duos Principes Angelos in Perside tempore captiuitatis vnum custodem populi Hebraici, alterum regni Persarum inter se concurrisse, & contendisse per dies viginti vnum, & vnum alteri restitisse,*Restitit mihi*, ait Angelus Hebreorum,*viginti & vno diebus*. Et addit *Michael venit in adiutorium meum*. Vera ista pugna,& quidem pertinax fuit; vt interpretantur auctores. Causa autem extitit: quia Angelus Custos populi Hebraici volebat, vt Hebræi à captiuitate liberi redirent in Iudęam. Angelus verò Persarum contrà optabat,vt manerent in captiuitate ad vtilitatem Persarum,quia docebantur ab Hebræis legem Dei,& conuertebantur ex infidelitate ad Deum. Inde orta dissensio. Dum Angelus Hebræorum populum suum custodiebat,& vnus erat cum illo concordia erat, quia vnus cum altero ambo pares Amicos agebant:cum autem Angelus iste custos cum altero Angelo, qui tertiam faciebat per-

Dan. 10.

ſonam concurrit, ſubito diſcordia extitit; vnde apparet amicitiam inter duos conſeruari, cum pluribus minimè conſiſtere. Diſſentiunt quia amicitiæ numerus
Ariſt. excreuit. Etenim ait Ariſtotelis lib. 9 cap. 10. *plurium Amore capi nemo poteſt.* Qui multos iactat amicos iacturam facit amicitiæ. Stellas tu multas in cælo reperias, & errantes, & fixas. At duo tantùm luminaria inuenies, quæ mutuo ſe foueant, & ſibi occurrant, ſeque reſpiciant; nimirum Sol, et Luna, paradigma paris amicorum, qui rari, quòd cari, quòd germani. Vnus
Virg. inter tot comites fidus Achates, idcirco Achates pretioſus à gemma dictus *Achate*. *Hoſpes*, inquit, *Ariſtoteles notos plurimos habere poteſt, amicos non poteſt.* Inter
Luc. 2. multos cognatos, & notos amiſſus fuit puer Ieſus, qui ſub cura Ioſephi domi cuſtoditus manſit: melius quippe cuſtoditus vnus ab vno, quam à multis. Non minus pugnat cum amicitia ſolitudo, quàm frequentia. Perditur quippe amor in copia, ſicut in ſolitudine extinguitur. Cur Deus homini ſoli in Paradiſo cõſtituto vnam tantum ſociam dedit Euam, non plures? Si illa ſolitudo non erat bona, præſtabat multos homini comites dare, & ſolitudinem frequentia remouere. Minimè gentium. Nec enim illa turba afferret ſolatium, imo faſtidium quòd tolleret amicitiã. Vna ſatis erat ſocia, quæ ſolaretur in ſolitudine, & leuaret moleſtiam. Non aufert ſolitudinem frequentia, ſed amicitia. Quæ maior, quàm in vrbe Hieruſalem frequentia, de qua Hieremias. *Quomodo*, inquit *ſedet ſola Ciuitas plena populo?*
Thren. 1. Abundabat viris carebat amicis, plena populo, amore vacua, nil faciebat ad ſolatium. Numero
Marc. 5 & multitudine abundant Dæmones. *Legio mihi nomen*
Luc. 8. *eſt quia multi ſumus.* Eſt vbi noceat multitudo. Veritas melior eſt vna, quàm multæ. Deus enim veritas eſt, & vna, ſicuti vna eſt fides: hæc propria Dei, & prorſus diuina

uina. Apud homines tamen in terris multæ sunt veri-
tates, uti dicit scriptura: hæc multitudo veritatum nō
est perfectio veritatis, propterea dicitur. *Diminutæ sunt* Ps. 11.
veritates à filijs hominum. At veritas quæ vna est, & in-
diuisibilis, ac æterna, nec minui, nec mutari potest.
Manet integra, & inuiolabilis. Inter homines multi- Psal.
plicata & discerpta, & corrupta mendaciis, quia *Omnis* 115.
homo mendax. Sepelierunt veritatem per incuriam
audientes, & ob audientes Patri mendacii. Hinc
mihi lux oborta, vt intelligam locum difficilem Psalmi Psal.
Veritas de terra orta est. Quomodo nascitur è terra, quæ 84.
de cęlo est, ac diuina? *Deus est veritas*: & rursum *Ego sum* Ioan.
via, veritas, & vita; via ad Patrem, veritas à Patre, vi- 14.
ta per Patrem. Sanè Cælestis erat veritas, & diuina.
In terram venit cōuersata est cum hominibus: ipsi ter-
reni, eam deturparunt, & corruperunt fraudibus, do-
lis, mendaciis. Corruptam terra obruerunt; oportuit
eam vnde extrahi, & suscitari: quando autem susci-
tata fuit, orta quodammodo fuit. Quo sensu intelligē-
dus est locus, & quidem resurrectio natiuitas quædam
est, secundum Paulum exponentem Vatem eundem,
dum dicit in persona Christi. *Filius meus es tu, Ego hodie* Ad He-
genui te. Qui locus tripliciter exponitur: tum de gene- br. 5.
ratione diuina: tum de natiuitate humana: tum de
Resurrectione à Sepulcro, quemadmodum multi
Auctores interpretantur. Accinit reliqua pars versus,
Et Iustitia de Cælo prospexit. Nam Iustitia comes erat
veritatis in terris, & dum veritas fuit, in terris fuit; po-
steà corrupta veritate, in qua fundatur iustitia, abijt in
Cęlum, & inde hominum iniustitias prospexit ex veri-
tatis defectu emergentes. Itaque multæ veritates
vna dissipata manserunt apud homines, & earum mul-
titudo officit, non prodest; prodesset, si vna esset. Re-
deo ad propositum. Copia amicorum nocet, non pro-

 ficit,

ficit, raritas & placet, & prodest. Exemplo sit Moy-
Exod. ses cùm solus erat in monte, & tamquam amicus Dei
29.32. solus cum solo loquebatur, splendidus, & felix erat,
34. loquebatur quippe ad Deum, sicut amicus ad amicum. Cum autem ad Populum descendebat, & multitudini se dabat incurrebat in peccata Populi, quæ vindicare opus erat. Vnitas est propria amicorum. Alia
Gen,18 officia multitudinem admittunt. Amicitia eam excludit. Multi Angeli venerunt ad visitandum Abraham, quando Tres vidit in Conualle Mambre. Multos vidit Iacob sibi opitulantes, postquam venit ex
Gen.32 Mesopotamia: exercitum quippe efficiebāt. *Castra Dei sunt hæc.* Plures aspexit in scala ascendentes, & descen-
Gen.28 dentes extra officia priuatæ amicitiæ, quæ multitudinem exigunt, quale item fuit ministerium Angelorum, qui Christo in deserto seruierunt, *Et Ecce Angeli*
Matth. *accedebant & ministrabant ei.* Verum ad munus con-
4. solandi amicè vnus Angelus mitti solitus, sicuti ad consolandam Ancillam Agar, & Tobiam custodien-
Gen 16 dum, & Danielem, & Socios liberandos: imo & ad
Tob.9 Christum cōfortandum vnus tantùm Angelus missus
Dan.3
Luc.22 est in hortum à Patre. *Apparuit ei Angelus:* non Angeli plures, quia agebat personam amici consolantis. Fa-
Iob.2. cit huc historia Sancti Iobi, in qua legimus habuisse
Iob.ult. eum plures consolatores. Nocuit ea copia, nec illi rectè consolandi officio functi sunt, aberrauerunt à recta consolandi ratione. Diuerterunt enim ab officio ad munia aliena. Patet ex capite vltimo, vbi sic Deus. *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos*, quia turbarunt consolationem, & nescierunt amicum miserum, & calamitosum confortare, quemadmodum superius cum Ambrosio notauimus. Melius rem intel-
Thren. lexit Ieremias, qui non quærebat plures consolatores,
1. sed vnum singularem, *Non habens*, inquit, *consolatorem*,
Non

Non dixit consolatores,& rursum. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius* , non dixit : non sunt chari, qui eam consolentur, sed non est ex tot charorum numero, qui eam consoletur. Vnus igitur amicus amico satis. Imo id obseruatum habeo, vbi erant tres vnum ex iis exclusum fuisse, & duos remansisse,vt iustus numerus amicorum esset . Sequebatur capite vltimo Euangelistæ Ioannis Petrus Iesum. Sequebatur item ipse Ioãnes. Erant cum Christo præeunte nõ duo tantum,sed tres, obseruo Euangelistam eo in loco dixisse: *Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem*. Quorsum hæc? videtur enim aliena sententia à narratione: quid sibi vult iste titulus dilecti, & amici Iesu? quid opus erat illius meminisse? Videlicet, quia voluit Euangelista significare proprietatem amicitiæ, quæ inter duos reperitur , & quia vidit Petrum tertium esse, declarauit non pertinere illum numerum ad amicitiam, quæ inter duos tantùm exercebatur. Fecit ergo mentionem amoris erga se Christi, ut doceret Petri vocationem ad aliud mysterium spectare, non verò ad amicitiam, quæ ad tertium non pertinebat , & ad duos tantùm spectabat. In Monte Caluario Christus inter duos latrones erat crucifixus, ternarius numerus personarum erat, vnum tamen vocauit, & admisit tamquam amicum, quia binarius numerus amicitiam continebat. Huc pertinet quod ait alio in loco Christus, *duo erunt, & vnus assumetur, & alter relinquetur,* non assumuntur ambo, sed vnus, quia assumens, & assumptus duo amicitiam significabant, si autem assumerentur ambo, ex vno assumente, & duobus assumptis, ternarius conflaretur. Duorum numerus sacer est amicitiæ. Duo Angeli assistebant sepulchro Domini: Magdalena vidit duos Angelos in Albis sedentes totidem viderunt mulieres apud Lucam

Ioan. vlt. Luc. 23 Ioan. 19. Luc. 17 Luc. 24 Ioa. 19.

&

& Ioannem: imo isti duo in vnum conuenerunt: Matheus enim, & Marcus faciunt mentionem vnius Angeli, non duorum. Sic enim Matthæus cap.28 *Angelus descendit, reuoluit lapidem sedebat super eum*, & iterum *Respondens Angelus dixit*. Singularis erat. Et Marcus cap. 16. loquens de Mulieribus: *introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem.* Vnum non duos: Quos geminos viderant apud Lucam, & Ioannem, quasi in vnum conuersos viderunt apud Matthęum, & Marcum, ut significaretur amicitiæ proprietas, quæ ex duobus amicis vnum componit secundum prouerbium. *Amicus est alter ego.*

Matth. Marc.

Equidem cum amicitiæ vim, & proprietatem considero, illud comperio, amicitiam inter multos stare non posse: quia cum amicus intimus esse debeat, quocum communicentur secreta cordis, & consilia mentis, vnus debet esse non plures, & Soleo in hanc rem trahere illud Hemistichium Vergilii

Ænei. 6 *Pauci quos æquus amauit*
Iuppiter.

Rari enim in tempestate negotiorum fidi amici inueniuntur. Et rursum illud aliud carmen Virgilij assumo

Ænei. 1 *Apparent rari nantes in gurgite vasto.*

Falluntur qui putant pluribus amicis esse fidendum. Hoc docuit Alcibiades Atheniensis, qui cum audiret quosdam de multitudine amicorum gloriantes hoc fecit experimentum. Occuluit in Angulo domus suæ Cadauer occisi homis sanguinolentum, & deduxit eò amicos singulos, rogans vt se à periculo liberarent, & Cadauere inde extracto amouerent discrimen. Facile esse vnum amicum sibi fidum in domum suam deducere, & ibi occultare, vt saluti amici consuleretur. Nemo tamen voluit Cadauer deferre, ne in se transferret

Plutarch.

ret periculum. Eo ille euentu narrato demonstrauit Athenienfibus raros esse amicos. Non possum hic omittere pulcherrimum factum Rachelis, quòd continet egregium specimen amoris erga amicum, & vt appareat nihil in Sacris litteris deesse ad doctrinã. Igitur sustulit Idola Patris Labani Rachel filia vxor Iacob cum hic patriam repetebat. Vix dum discesserat domo, cùm Labanus cõperto furto persecutus est Iacobum. Occupauit eum in via, expostulauit de ablatis Idolis: omnino interfecturus Iacob, si eum furti reum comperisset. Rachel tamen amore coniugis suscepit in se periculum: occultauit Idola, & arte muliebri Labanum patrem fefellit, & furtum abscondit. Mira vis, & ars amicitiæ. Quod Athenis inueniri nõ potuit, diuersorium in Sacris litteris exhibuit, ac demonstrauit. Vera ratio amicitiæ apparet in Sacris, quæ nulla est in profanis. Illud item paucitatis amicorum argumentum est: quod Christus Dominus amicum Lazarum à mortuis excitauit: cùm eum amicum appellasset. *Lazarus amicus noster*. Vt eum sibi restitueret. Poterat alios è viuis amicos sibi comparare, maluit tamen vnum iàm sibi antea notum, & charum reuocare à mortuis, vt doceret amicos raros esse: cum excitandus esset à mortuis vetus amicus propter penuriam viuorum. Simile documentum tradidit Saul, qui cùm Rex esset, & multis amicis crederetur abundare, in iis, quibus oppressus erat pugnæ imminentis angustiis, recurrit ad Samuelem mortuum, vt ab illo amici officium exigeret, significans raritatem amicorum. Propterea notum iàm sibi in vita amicum Samuelem, consuluit, præferens eum aliis viuentibus, & comperit verum esse, maiórem fidem inesse in amico defuncto, quam in hominibus viuis. Inter Cineres quasi Phænicem amore ardentem inuenit. Phænix quippe rarus

Gen. 31


Ioan. 11.

1. Reg. 28.

rarus amicus est *Rara auis in terris.* Ideo Achilles Phœnicem magistrum, & amicum sibi delegit, vt ipso nomine significaret raritatem.

Verùm obijcies Darium Persarum Regem multos amicos exoptasse, adeo vt cum Malogranatum teneret manu, & rogaretur quarum rerum tot numero habere vellet, quod essent illius Pomi grana? respon-derit, *Zopyrorum*, inquit, qui amicus regis arte mirabili, & miserabili Babylonem frustrà à se obsessam occupauerat, & occupatam Regi Dario tradiderat. Seipsum quippe multis vulneribus deformauit, eoque habitu ad hostes transfugit, quasi abalienatus à Rege, qui se tàm crudeliter vulnerasset. Fefellit illud stratagema Babylonios, ei se crediderunt, & ille Dario prodidit Ciuitatem. Desiderabat ergo Darius plures Zopyros sibi amicos, & quidem tot numero, quot in Malo granato grana numerabantur. Præterea Alexander amicorum copia abundauit: quorum præcipui Ephestion, Craterus, Perdiccas, quare non sunt inepti amici plures, imo & interdum necessarii. Respondeo hoc genus amicitiæ non pertinere ad amicitiam priuatam hominis cum homine, sed ad Ciuilem Regis, & Ducis, quę alterius est rationis, hęc autem multos permittit, imo & exigit. Ecquis enim Rex, aut Dux gubernare Rempub aut ducere exercitum sine multis, & Ciuibus, & militibus potest? Nec dubito quin Rex Dauid insignes illos qui numerantur lib. 2. Reg. cap. 24. *Fortes* familiares habuerit Lesbaam, Semma, Eleazar: Abisai, Banaiam, & alios triginta, quorum omnium Princeps fuit Ioab. Eiusmodi fuisse puto in exercitu Agamenonis Achillem, Aiacem, Diomedem, Merionem, Antilochum; apud Adrastum Tydea, Amphiaraum, Hippomedonta, Capaneum, Parthenopæum. Ciuilis militaris ista amicitia est, & non priuata, & familiaris.

miliaris. Hoc sensu Rex Darius tot Zopyros optabat; quot erant illa grana malogranati; imo retorqueo argumentum Alexandri, qui Craterum appellabat amicum Regis, cui alios similes habere poterat, quales erãt Perdiccas, & alii militares viri. At vnus Ephesthion intimus Alexandro erat, quem idcirco Alexandrum alterum nuncupabat. Vt Ionathas Princeps plures haberet sibi gratiosos, vnum tamen Dauidem singulari amore complexus est. Illud inuictum, & illustre documentum esto, quòd Christus multos, & Apostolos, & Discipulos familiares, imò & amicos, & habuit, & dixit, inter eos tamen Ioannem Euangelistam singulariter dilexit, adeo ut *Dilectus Domini* in Euangelio appelletur. Quotus quisque est enim, qui non abundet amicis, & ministris, quos amet, & quorum officiis & obsequiis vtatur? verùm nemo est, quin ex tanta multitudine aliquem sibi amicum, & intimum eligat. Neque hoc latuit Aristotelem, qui lib. 9. c. 10. In Politica Societate multos amicos fore fatetur, negat autem hos amicos veros, ac germanos esse, propterea quòd vehementer amare, & propter virtutem, nonnisi in vnum quadrare potest. πολιτικῶς μὲν οὖν πολλοῖς εἶναι φίλον. *Politicè fit vt quis sit amicus multis*, & rursum δι' ἀρετὴν, καὶ δι' ἑαυτοὺς οὐκ ἔστι πρὸς πολλούς.
Virtutis autem nomine, vt amet quis multos, & propter ipsos fieri non potest.



CORONIS

PAR AMICORVM

Nisus, & Euryalus.

EPITAPHIVM.

Calent hic, Viator, cineres amicorum Nisi,
Et Euryali commilitonum.
Hi ardentis quondam Troiæ fauillæ
Exarserunt amore Patriæ
In Italia rediuiuæ.
Coniecerunt sese in præsens periculum ad arcendum
Imminens
Ab Rutulis hostibus incendium.
Æneid. 5 Nisus, qui olim Euryalum in stadio ad palmam
Compulerat,
Ad cupressum in acie impulit.
Accitum Æneam absentem pro ferendis suppetiis
Æneid. 9 Ab Ascanio volentes dimissi
Per media obsidentium Castra nocte cōcubia profecti
Ingentem stragem ediderunt.
Sed paulò pòst ab obuia turma equitum
Comprehensus Euryalus.
Niso euadente hostium Duci traditur.
Liber periculo Nisus comperto amici discrimine,
Retrò rediens
Conatus est eum eripere,
Vel vlcisci.
Cumque coniectis telis turbasset aciem, & duos
Con-

Confixisset,
Nec extaret cedium auctor,
Dux stricto ferro in Euryalum
Irruit.
Non tulit hanc speciem Nisus, ingenti clamore
Se prodidit,
Et in se transtulit facinus.
Sed frustra:
Nam hostis Euryalum immerso in viscera ferro
Extinxit.
Impatiens doloris Nisus ulciscendi amici ergò
In hostem ruens,
Et illum glaudo hausit,
Et ab ipso mutuo vulnere transfixus
Interijt.
Moribundus super amici spirans cadauer se coniciẽs,
Vt carentem vrna
Corpore suo tegeret,
Piè ac generosè
Occubuit.
Euryalus amicum excepit velut tumulus, & per transfixum pectus
In cor admisit, ceu ibi eum
Sepelire vellet.
Profluens amborum sanguis confluentem rubrum
Formauit,
Et indicauit fontem amoris.
Spiritus diuerso ex ore in vnum halitum coierunt,
Et duo Corpora vnam animam
Exhalarunt.

EPIGRAMMA.

Siste hospes, nostrumque calens venerare sepulchrum:
Hic duo amicorum. Corpora fida iacent.

Euryali, & Nisi: nobis capita abstulit hostis;
Viuus at, in gelidis ossibus haeret amor.

Bellica vita fuit: post fata quiescimus ambo:
Nos habet vna quies, queis erat vnus amor.

Nec nos destituit tumulatos gloria, quando
Versibus ornauit funera nostra Maro.



LE-

LECTIO OCTAVA.

De Amicitiæ firmitate.

Ad Textum Aristotelis cap. 3.

Κατὰ συμβεβηκὸς τε δὴ αἱ Φιλίαι αὗται εἰσιν. *Ex euentu sunt amicitiæ.* εὐδιάλυτοι δὴ αἱ τοιοῦται εἰσι, μὴ Διαμενόντων αὐτῶν ὁμοίων. *Tales amicitiæ facile diri-muntur, cùm ij similes non permaneant.*

DOCVMENTVM VIII.



Pugnat Amicitia cum Fortuna, & bonis Fortunæ. Amicitia non est æstimanda vtilitate: nec Amicis tanquam vestibus vtendum. Ex Philippo Macedone, & Cicerone probatur. Passio Christi denudatione vestium celebris. Quippe quæ Amoris opus. Amici constantes. Stella fixa symbolum apud Deboram. Eua ex costa formata, duro osse, non molli carne. Amicitia Pilati cum Herode ex euentu diurna: non diuturna. Amicitia similis centro terræ ob immobilitatem, & centro maris, quia Sal est symbolum amicitiæ propter incorruptionem. Cor terræ, & Cor maris in scriptura habentur. Non autem aeris, neque ignis. Cur? Sponsa Canticorum idea Amicitiæ. An Amicus sit amandus tanquam odio habendus aliquando? quæritur. Contrà Amicitia quæ vera esse desinit vera nunquam fuit.

PAR AMICORVM

Phocion, Nicocles

Elogium, Epigramma.

Nihil

NIhil commune amicitiæ, ac Fortunæ. Fortuna fragilis è vitro: in rota volubilis. Numquam certa. Amicitia immortalis in centro cordis immobilis: Pondus non rota: *amor meus pondus meum* dixit Augustinus, etiam in incertis certa, & & constans. Hinc paræmia Ennii apud Tullium in Lælio *amicus certus in re incerta cernitur*. Fortuna temerè agit, & omnia casu regit. Amicitia affectu ducitur, rationem sequitur, virtutem respicit. Similis Mercurio sapienti, qui marmori insistens, manet immobilis, in erecto firmus, in edito constans, qui arte & scientia ducitur.

In confess.

Vt sphæra Fotuna, cubo sic insidet Hermes:
Artibus hic, variis casibus illa præest.

Propterea virtus amicitiæ in firmitate consistit. Res est animæ immortalis, non corporis caduci. Improbare solitus erat Philippus Rex Macedo eos, qui amicis ceu vestibus vterentur, quæ & sumuntur, & deponuntur, & subinde mutantur, & usu deteruntur, ac pereunt. Eodem iure Scipio apud Tullium in Lælio queritur *de amicitiis puerorum, quæ sæpe cum prætexta, & toga deponebantur*. Id multò antè docuit Ionathas amicitiæ idea. Simul ac contraxit cum Dauide amicitiam, spoliauit se vestibus ne videretur illius esse sententiæ, quæ amicos vestibus comparabat. Eo facto negauit mutaturum se animum, sicuti vestes mutabat. Nudum se professus amando, vt ex intimo corde amare significaret, testabatur amare se, & anima & personæ, non amictu & specie; veritate inducta, fuco remoto. Ac, vt id constaret, ne corpore quidem amare voluit, quod est caducum & mortale, sed anima æterna, & immortali. Animam animæ conglutinauit. *Dilexit Dauidem quasi animam suam:* vt esset amicus sibi, & ille amico pro anima, & vterque alterius animam tanquã

Plut. in Apoph.

1. Reg. 18.

præ-

prædem, & pignus haberet. Immortalitatem cogitabat: ideo vestes & corpus exclusit. Retinuit animam, & peritura vestimenta oppigneravit amicitiæ non periturae. Id circo Aristoteles in hoc capite vituperat amicitiam vtilitate, & iucunditate sola nixam, quod sit instabilis, & volubilis: & improbat amorem, qui vsum, & occasionem temporum expectat: negatque inter eos, qui amicitiam vtili, ac delectabili metiuntur veros esse amicos posse. In quo peccarunt insignes duo viri Lysander Lacedemonius, & Alcibiades Atheniensis, qui leges amoris vtilitatis cupidine violarunt, & patriæ suæ cum antea profuissent, funesti demum extiterunt. Temporariæ sunt huiusmodi amicitiæ, & vanę; fuci, & pigmenta. Pro varietate temporum mutantur. De his Proverb. 13. *Diuitiæ addunt amicos plurimos: pauper verò etiam ab amicis deseritur.* Et Ecclesiast. 6. *Est amicus secundum tempum suum: & non permanebit in die tribulationis:* similes videntur Chamęleontibus, qui aere, & vento pascuntur, intra colorem, nulla, re nullo succo, fructu nullo. Tradūt periti Astrologiæ inter stellas esse familiaritatem, & concordiam, & lucidam amicitiam: in Planetis discordiam, & dissensionem inueniri: nempe stellæ fixæ sunt, & imobiles. Planetæ vagi, & errantes. Stellæ clauos imitantur, figuntur cælo, & figunt cælum: figentes, & fixæ annuunt, & innuunt nictu amabili, & amorem testantur, motu tantùm trepidationis admisso, quòd timent ne amicitiam perdant, aut lædant. Propterea in illo Cantico Deboræ ponuntur Stellæ adiutrices populi Dei contra hostes, non verò Planetæ: quia Stellę fidę, ac fixæ perseuerabant: Planetæ infidi, & volubiles vagabantur. Verba sunt Cantici *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo contra Sisaram pugnauerunt.* Nota. *Manentes,* constantes, perseuerantes, immutato cursu, seruato ordine

Plut. in vitis.

Iudic. 5.

amicis

amicis pugnantibus fulgentes suppetias attulerant ? prætermissis silentio Planetis, qui vagabantur, & erratico motu ferebantur inutiles ad auxilium.

Amicitia de repente facta, & temerè suscepta citò desinit: caret quippe certo & firmo fundamento. Quo sensu rectè dixit Aristoteles: *Amicitiæ quæ constant ex euentu malè cohærent*, & breui dissoluuntur. Idoneus locus est ad hoc probandum apud Lucam *Facti sunt*, inquit Euangelista, *amici Herodes, & Pilatus in illa die*. Vulgaris sensus est: eò tempore, illo die passionis amicitiam inter se contraxisse, cùm anteà essent inimici ad inuicem, quia nimirum Herodes obligatus urbanitati Pilati ob reum Galilæum ad se remissum deposuit odium, & amorem erga Pilatum conceptū. Probo Sensum. Sed aliter non incongruè expono locum. *In illa die*, idest pro illa tantum die *facti sunt amici* respiciendo continuationem temporis, quasi diceret breuis fuit illa amicitia: diurna, non diuturna, quia erat contracta ex occasione. Significauit hoc Euangelista animaduertens Herodem multo ante desideraſſe videre Christum causa iucunditatis capiendæ ex aspectu miraculorum, quæ inaudierunt fieri solere à Christo. *Erat enim cupiens ex multo tempore videre illum*, &c. Igitur amicitia illa causa curiositatis iucundæ suscepta citò desiit: vnius diei fuit *in illa die* vna, & contracta, & dissoluta, deposita spe miraculi. Fauet quòd nunquam postea legimus Pilatum, & Herodem amicitiam, vel retinuisse, vel coluisse: quod indicium esse potest, in illa solum die eos amicos fuisse, & amicitiam contraxisse diurnam, non diuturnam: ac hemerobiam, non æternam. Apage procul ab amicitia fortunam.

Luc. 23

Ibid.

Turpe sequi casum, & Fortunæ cedere.

Canit Ouidius Lib. 2. de Ponto, Vitrea est, & fragilis, & coniuncta cum casu. Turpe igitur fortunam sequi, quam

quam sequitur casus, frangitur quippe, & in casum venit: quia dum frangitur ex casu rumpitur. Pulchrum & acutum quiddam inuenio in illis verbis Genesis secundo *Tulit Dominus vnam de costis eius, ideſt Adami, & ædificauit Dominus costam in mulierem*. Quare de costa? In Adamo maior pars caro erat, & charior ofs.: Cur ergo non formatur mulier de carne, sed de osse? Eua mollis erat femina, & delicata; ex molli carne fieri, non ex dura costa debuit. Contrà: nã dabatur Adæ in sociam. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium.* Vt igitur firma socia, & amica esset ex costa formari debuit. Veruntamen Adam accepit vitam à Deo per inspirationẽ, & flatum: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Accepit ergo vitam ad modum vitri, quod inspirando per flatum formatur. Ad significandam præstantiam amicitiæ. Vita vitrea fuit, amica ossea fuit. Longè nobilior vita; illa firma, & constans: hæc fragilis, & caduca: huic satis erat flatus: flatu quippe & cæpit, & flatu desinet. Exhalamus animam vitream per flatum: at vero amicitia solida, & fortis manet, ac perseuerat. Habet igitur Adamus vitam ex flatu verè bullam, quæ facile detumescit & soluitur. Habet sociam, & amicam à costa solidam, & constantem. Duo hæc continentur in illis verbis Adami. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Duo erant in muliere & mollities sponsæ, & duritіes amicæ: refertur caro mollis ad sponsam: os durum ad amicam. Amor vxoris carni similis: amor amicitiæ osſi par. Præposuit autem Adam os carni. Prius enim dixit *os de osse*, quàm *caro de carne*, pluris quippe ęstimabat amicitiam sociæ, quàm consortium uxoris. Hic locus rem continet firmæ, & perseuerantis amicitiæ. Pulchrè quidem, & subtiliter Adamus inuestigauit. Venustè & acutè de eadem amicitia dicitur in Canticis Canticorum.

Gen. 2. (margin)

N Spon-

Sponsam, sponsam inquam illam Canticorum fortam militarem, & bellicosam esse *Terribilis vt castrorum acies ordinata*: & iterum: *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* Tribuitur ei collum similis turri Dauidis, *quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium*. Assignatur *vmbilico Crater tornatilis* naso *turris Libani*, capiti *Mons Carmelus*, *statura assimilatur palmæ*. Ecquis non miretur hanc pulchritudinem? videtur enim longè à sponsa abhorrere: quæ venusta, blanda, bellula, delicata esse debet. Quomodo igitur dura, & ferrea, & militaris & bellicosa describitur? Nimirum ad amicitiam hæc sunt omnia referenda: hìc vti amica describitur, non vti vxor; eoq; patet istud Salomonis Epithalamium diuinum prorsus esse, nec rem lasciuam, sed diuinam continere. Significat quippe amorem cœlestem, & immortalem, inter Deum & animam Sanctam, quæ per amicitiam sponso diuino copulatur: propterea non est mollis, nec delicata, sed dura, firma, & armata. Sicuti amicitia excludit fortunã, ita etiã secludit fortunas, idest ea bona quæ dicuntur bona fortunæ, nempe commoditates, & vtilitates quarum rationem habere amicitia non debet. Res est mysterio plena, quòd in Christi passione, quæ amoris symbolum fuit omnia fuerunt nudata, & paupertatis plena: abiectis vestibus quibus fortunę bona, copiæ, facultates significantur. Documento omnes esse abigendas è loco amcitiæ. Primùm occurrit adolescens nudus inuolutus sindone. Deinde introducitur Pontifex scindens vestes: posteà Christus nudus in Cruce, ubi etiam eo mortuo scinditur *Velum Templi in duas partes*: pereunt operimenta omnia: vestes vastantur: omnia sunt discooperta, & nuda; quia vis amoris rumpebat vestimenta, & remouebat impedimenta amoris, quem Christi passio continebat.

[Margin: Cant. c.6 — cap.7 — ca. 4 — ca. 7 — ibid. — Marc. 14. — Matth 27.]

In-

Incepit à sepulchro, & desiit in sepulcro. Nam ille adolescens, qui passioni initium dedit quid aliud significabat, quàm cadauer sepultum? cū Sindone inuolutus esset, qua solent cadauera inuolui. Desiit vero in sindone, qua Christus tectus, & inuolutus sepultus est. Amicus non debet moueri vtilitatibus, sed mortuum ergo illas se gerere. Nusquam legimus Christum Lazarum appellasse Amicum, nisi cum ille mortuus erat. *Lazarus*, inquit, *Amicus noster dormit*. Nam verus amicus moritur cōmoditatibus. Perspicuè docuit Spiritus Sanctus proprium esse amicitiæ vitę vtilitates, & commoditates repudiare, ne propter illas suscipiatur, & deponatur amicitia. Amici debent se amare, non spe habendi, sed affectu amandi, viui ad diligendum, mortui ad possidendum; vnde Iudas inimicus Christi, *possedit agrum iniquitatis, de mercede*, vt ait Petrus, quia amicus non erat, & illa possessio amicitiam labefactauit. Volubilis est amor, qui fortunam, & bona fortunæ sperat, & sequitur. Oportet enim eum & firmum, & austerum, non cupidum, nec auarum esse, qui non pendeat ab emolumentis & facultatibus, qui amor legitimus non est, sed adulterinus; qualem describit Ouidius secundo de Ponto, & Lucanus lib. 8. & Horatius primo Epist. 18. & Silius lib. 11. Satis est illud distichon Petronii Arbitri. Act. 1.

Cum Fortuna manet vultum seruatis amici, Petron.
Cum cecidit turpis vertitis ora fuga.

Hanc doctrinam mihi video inuenire in eo loco lib. 2. Reg. c. 2. vbi ponitur Legatio Principis militiæ Saulis, idest Abneris ad Dauidem electum Regem Iuda in Hebron, eundem ad capiendum regnum Israel, inuitantis his verbis. *Cuius est terra? & faciamus amicitias*. Quis tandem modus est iste loquendi? Præmittit mentionem terræ, *cuius est terra?* & subiungit, amici- 2. Reg. 3.

tiam, *faciamus amicitias*. Inquiro ſenſum moralem, & moueo difficultatem: Quid amicitiæ cum terra? Rectè quidem Abner myſterium intellexit. Agebat de amicitia cum Dauide ineunda, videbatque oportere firmam eam, & conſtantem fore, non mobilem, & volubilem. Propterea intulit mentionem terræ, elementi firmi, & immobilis, quę ſignificaret amicitiæ, quam conciliare volebat, firmitatem: *faciamus*, inquit, *amicitias*, ſimiles terræ, non aeris, non aquæ, non ignis, quæ vt ſunt elementa ſuperiora, non ſignificant amicitiam, quòd ſint vaga, & mobilia; terra vero ſymbolum eſt idoneum amicitiæ, quòd non mouetur, ſed immota ſemper ſtat, & firma conſiſtit. Et quamquam terra ſit ignobilior, id amicitia non curat, quæ in amore firmitatem quærit. Geminus mihi videtur huic loco ille alter Exodi. *Altare de terra facietis mihi*. Mirum! Cur de terra: non de auro, vel argento, quæ Deū deceat, non autem terra, quæ materia vilis eſt & bruta? Secus docere videtur moralis interpretatio, quia in Altari profitemur fidem in Deum, cum amore, & caritate coniunctam. Congruit autem fidei, & caritati, materies terræ, quia eſt firma, & conſtans, qualis eſt natura fidei, & charitatis, fides enim eſt certiſſima, & firmiſſima, & quæ in Fide fundatur caritas. Nec obſtat vilitas materiæ, quia hęc conducebat ad firmitatem, & conſtantiam in credendo, & in amando, nam ſi Altare eſſet ex auro, vel argento homines capti cupiditate diligerent pretium, & Deum negligerent, & fidem in perfidiam, caritatem in auaritiam verterent.

Exod. 20.

Magna mihi lux oboritur ex hac interpretatione ad intelligendum abſtruſum quoddam, & difficile Myſterium. Dignum eſt animaduerſione, quòd in Sacris litteris reperimus terram habere *Cor*: *In Corde terræ*,

Quid

Quid sibi vult, aut quomodo terræ congruit, elemen- Matth. 12.
to insensibili, *Cor* vitæ fons, & principium? Illud In
mentem venit. Per Cor significari amorem, qui vt firmus & constans sit in terra collocatur, vt inde firmitatem, & soliditatem accipiat; debet enim naturam terræ induere, vt sicut illa non mouetur, ita nec iste mutetur; non igitur, aut in aere, aut in igni Cor amicitiæ constituatur, quia sunt elementa leuia, & mobilia, sed in terra, quæ est grauis, & immobilis. Verùm insurgit ex aduerso contra istam rationem quędam inuicta, vt apparet, obiectio; nam in Sacris litteris etiam mare dicitur habere *Cor* nempe Psalmo 45. *Et transferentur montes in Cor maris*, quod omnino pugnat cum priori sententia de firmitate, & immobilitate terræ. Ecce enim mare, quod est vagum, & volubile habet Cor, non igitur sola terra, nec propterea Cor habet, quia est firma & imobilis. Sentio vim obiectionis, & respondeo alia ratione. Conuenire mari *Cor*, & hoc ad rem amicitię pertinere, vt sint duæ rationes probantes perpetuitatem amicitiæ, quod sic explico. Amicitia est immobilis, & est æterna. Vt immobilis, habet *Cor* in terra, vt æterna, & incorruptibilis habet *Cor* in mari, quia mare est causa Salis, qui res facit incorruptibiles, vnde amicitia sal quidam est ad incorruptionem, & immortalitatem pertinens. Id superest probandum *Salem* esse amicitiæ symbolum. Constat Lib. 3.
ex Pierio Valeriano in Hieroglyphicis, vbi ostendit sal esse symbolum amicitiæ, durationis gratia. *Corpora, enim*, inquit, *Solidiora facit, & diutissimè conseruat: vnde hospitibus ante alios cibos apponi solet, quo amicitia firmitas, ac perseuerantia significatur*. Non est ergo alienum Cor à mari, imo congruit amicitię: vt eius perfectio duobus Cordibus compleatur. Corde terræ ad firmitatem, Corde maris ad diuturnitatem. Nec illud prætermit.

termittendum Aerem, & ignem non reperiri in Sacris litteris Cor habere; nusquam enim dicitur Cor aeris, vel Cor ignis, sicuti dicitur *Cor terræ*, & *Cor maris*, quia amicitia non quadrat in Aerem, nec in ignem, quæ sunt elementa contraria amicitiæ. Aer quippe vagus, & volubilis negat constantiam, & firmitatem: ignis verò vorax, corrumpens, & consumens longè abhorret ab incorruptione, & diuturnitate amicitiæ. Careant ergo corde duo elementa Aer, & Ignis, quia repugnant proprietatibus amicitiæ. Habeant vero *Cor* Mare, & Terra, quia conueniunt, & congruunt amicitiæ. Hinc patet responsio ad illam celebrem quæstionem. Vtrum amicus ita sit amandus, tanquam aliquo tempore odio habendus, atque adeò non omnino amico esse fidendum, propter mutabilitatem ingenii humani? Nonnulli, & quidem Sacri Auctores, inter quos est Sanctissimus Franciscus Xauerius, cuius hoc erat dictum familiare, affirmant illam sententiam, quam primum omnium tradidit Bias vnus ex septem sapientibus. Mihi tamen placet contraria sententia, quam proponit, & commendat Cicero in Lælio ore Scipionis. *Negabat*, inquit Lælius, *Scipio vllam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quàm eius: qui dixisset ita amare oportere, vt aliquando esset osurus, nec verò adduci se posse vt hoc quemadmodum putaretur, à Biante esse dictum crederet. Quonam enim modo quisquam amicus eius esse poterit, cuius se putauit inimicum esse posse?* Igitur homines illi sancti, qui contrariam tenuere sententiam, de amicitia humana, quæ fragilis est, & vtilitates, & iucunditates sequitur, loquebantur; non autem de amicitia, quæ verè virtus est, & Spiritum sapit, & æterna intuetur. Hæc enim firma, & constans, & immortalis est, & in charitate fundatur. De alia amicitia humana, & politica dixit

Lucena in eius vita.

Cicero.

Iacobus

Iacobus cap. 4. *Amicitia huius mundi inimica est Deo.* Non autem loquimur de amicitia, quæ est virtus, & placet Deo, quam probat Sacra scriptura Prouerbiorum 17. *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* & cap. 27. *Amicum tuum, & amicum Patris tui ne dimiseris.* Et Eccl. 6. *Amicus si permanserit fixus erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget,* & ibid. *Amicus fidelis protectio fortis: qui autem inuenit illum inuenit thesaurum.* Huic amico omnino fidendum, vt fructus ex eo amicitiæ capiatur: in quam rem Sanctus Ambrosius lib. 3. de offic. c. vltimo. *Solatium huius vitæ, vt habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communices,* Ambr. *cui secreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur:* quod etiam Tullius in Cicero. Lælio affirmat. Itaque amicus, & habendus & retinendus. Quare mihi arridet magis illa communis sententia, quæ tribuitur Ambrosio *Amicitia quæ deesse potuit vera nunquam fuit:* quæ continet rem firmitatis, & diuturnitatis; nam amicitia quæ defuit nitebatur propria vtilitate: non autem fide, & veritate. Talis fuit amicitiæ Iudæ erga Christum; quod ei visus est idemmet Christus exprobrare, cùm amicũ apellauit *Amice,* Matth. inquit, *ad quid venisti?* quomodo vocat amicum prodi- 26. torem? vt significaret eum fuisse amicum temporarium cupidine pecuniæ, commoditatis, & honoris, atque adeo fictum & mutabilem: vnde verus amicus nec fuit, nec esse potuit. Secus autem Ioannes Euangelista, *quem diligebat Iesus,* & à quo diligebatur vero amore charitatis: hic constans fuit, & domi in fauoribus, & foris in persecutionibus. Nunquam deseruit Christum, & in gloria Montis Taboris, & in Horto, & in domo Caiphæ semper socius indiuisibilis, vsque ad crucem, vbi stetit immobilis, tenet ad plorandum tan-

tanquam cera, firmus ad perseuerandum in cruciati-bus, tanquam columna, eoque opinionem immortalitatis aquisiuit: suspicabantur enim discipuli eum non esse moriturũ dicentes, *quòd discipulus ille non moritur*. Nimirum virtute amicitiæ, in qua ille constans perseuerauit. Videbatur Apostolis immortalis futurus, qui nunquam amicitiam deseruerat. Et quidem ita inualuit hæc opinio, vt multi, nec ignobiles auctores sibi persuadeant Ioannem mortem non obiisse, sed adhuc viuere. Introiisse quidem in sepulchrum, sed damnum sepulchri non pertulisse: translatum, vel in paradisum, vel in alium locum beatitatis, vbi mortis expers iucundissima vita perfruatur, ea ratione, quòd amicitiam perpetuam, & immobilem coluit, cuius præmium est immobilis beatitudo. Hoc nomine meruit in Insula Pathmos mysteria beatitudinis, & æternæ gloriæ intueri. Non probo horum auctorum sententiam. vtor ea tamen quatenus conducit ad ostendendam veræ amicitiæ firmitatem, & diuturnitatem.

Ioan. 21.

Amicorum firmitas, & constantia apud peritos significatur anchora, quæ firmat, & sustentat nauem. Amicus in procelloso mari, sæuiente vento, fluctibus intumescentibus, aduersa tempestate anchoræ instar firmus, & immobilis debet consistere, & amicum sustentare. In hanc rem conuerto illa carmina Horatii ode 3. lib. 3. paulum immutato primo versu.

Constantem amicum proposita in fide
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus:

Si

Si fractus illabatur Orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Tales: Theseus erga Pirithoum: Pylades erga Orestem: Pythias erga Damonem: Nisus erga Euryalum: Lycurgus erga Xenocratem: Xenocrates erga Platonem: Eucritus erga Euephenum: Chærephon erga Socratem: Aretæus erga Eudamidam; Blosius erga Tiberium Gracchum: Lectorius erga Caium Gracchum: Terentius erga Brutum: Volumnius erga Lucullum in profanis: in sacris Ionathas erga Dauidem, extiterunt.

CORONIS.

PAR AMICORVM

Phocion, & Nicocles

EPITAPHIVM.

Furuis Manibus
S.

Inuentrices doctrinarum Athenę (quis crederet?)
Fabricatrices nunc calumniarum.
Par hoc Amicorum noxæ, & neci
Addixere.
Insontes vita: Sontes inuidia fecit.
Non alio vinctos nexu, quàm amicitiæ.
Ad poculum veneni obbibendum coacti,
Vt quasi conuiuantes obirent.
Soliti conuiuere didicerunt commori:
Hauserunt virus,

O Cen

Ceu haurirent vinum.
Mors somnus futura.
Obdormientes fatalem crapulam exhalarunt.
Alter Nicocles
Rogauit Phocionem prærogatiuam potus,
Impotens doloris si Phocionem
Præmorientem videret:
Quòd bis sibi moriendum esset.
Annuit Phocion, qui nihil amico viuens negauerat,
Et qui viuendi gratiam
Facere non poterat,
Moriendi fecit
Sciuit amor in morte seruare rationem officij.
Ille decessit feliciùs:
Hic constantiùs
Quòd ferre potuit, aspectum morientis amici.
Cui cùm paruisset viuo
Mortuo parentauit.
Mors quæ separauit corpora, copulauit animos.
Coniunctiores mortui,
Quàm viui.
Procul hinc rogus: suo cremantur igni.
Ades dum Hospes;
Adhuc cineres fumant,
Nega hos esse ingratos.
Ambobus sit terra leuis.



EPI-

EPIGRAMMA.

COmpulsi Phocion, Nicoclesque haurire venenum,
Quos gens innocuos fecit iniqua reos.


Alter in alterius stupefactus funere, amici
Obliti propriam condoluere vicem.

Mox Nicocles iuuenis petit à Phocione, bibendi
Vt sibi det primas, possit vt antè mori.

Cui Phocion: viuens tibi cùm nihil antè negarim:
Nec nunc in media morte negare queo.

Bis moriar: primum cùm tu moriere, secundùm
Cùm subeam mortem, dulcis amice, meam.

Hoc precor, vt potans mihi vas fatale propines:
Deque tua veniat mors mihi missa manu.



LECTIO NONA.

De Amicitia Inter Reges, & subiectos.

Ad locum Aristotelis cap.5.

Ἔοικε δὲ καὶ τὰς πόλεις συνέχειν ἡ Φιλία. **Videtur etiam Amicitia ciuitates continere**, καὶ οἱ νομοθέται μᾶλλον περὶ αὐτὴν σπουδάζειν, ἢ τὴν δικαιοσύνην. *maiorique quàm iustitia legum latoribus curæ esse.*

DOCVMENTVM IX.



Eges. & priuatos vt homines: & Politicos, ut Principes amicos habent. Deus homines amat. Eos Christus amicos vocat. Signum Amicitiæ Eucharistia. Excellit omnem Amorem. Alexandri, & Ionathæ friget præ illo. Principes subiectorum Amici afferuntur: Sacri, profani. Reges Pastores, & oues ad imperandum & moriendum pro subditis. Codrus, & Saul. & Dauid testantur Christus Rex Regum Idea Pastoris, & Ouis. Mactatus hostia, & omnia secum hominibus donauit. Deus Marcionis à Tertulliano vituperatus. Eucharistia à calumnia Auerrois defensa. Manus Regem liberalem præstant. Artaxerxes laudatur. Sponsi manus tornatiles expenduntur. Cur Christus non permisit frangi sibi crura, & admisit vulnus in latere? Rex qui manus ligatas habeat ad donandum in utilis: idque exemplo Zaræ, & Phares comprobatur. Adducuntur alia venusta, & iucunda. Humana, Diuina.

CORONIS Par Amicorum
Pelopidas, Epaminondas.

PRincipes, & habent personam, & agunt. Quà homines sunt, personæ priuatæ: quà Principes Rempublicam gerunt. Vtroq; modo ferunt amicitiam: alterò priuatam, & domesticam: alterò publicam, & politicam. Alexander exemplo esto; duos familiares habuit Ephæstionem, & Craterum, de quibus dicere solitus erat: *Ephæstionem esse amicum Alexandri, Craterum Regis.* Sacratius hoc usurpare possumus, sed cum reuerentia, & venia religiosa. Duos videtur supremus Rex Christus amicos habuisse, Ioannem Euangelistam, & Petrum: Ioannem personæ: Petrum supremi muneris regendi Ecclesiã. Legimus in profanis historijs Nestorem Agamenonis familiarem fuisse: Zopyrum Darij. In sacris Dauidem priuatum charum fuisse Ionathæ Principi. Nec Deus summus rerum omnium Conditor, & gubernator detrectauit amicos homines, à se conditos, & seruos habere. Ore Christi *amici* appellantur discipuli: *Vos autem dixi amicos,* & iterum *dico vobis amici meis*; imo idem Dei filius *Habitu inuentus vt homo,* Philip. vt amans hominem sibi amicum efficeret. Quique adorari ab Angelis voluit, ab hominibus amari maluit. *Adorent eum omnes Angeli eius.* Adorationem nobilioribus: amationem ignobilioribus iniunxit. Cum esset Psal. natus militiam atribuit Angelis. *Facta est cum Angelo* Luc. 2 *multitudo militiæ cælestis.* Pacem, quæ perinde est, ac amicitia, hominibus assignauit. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Nec dedecet subiectorum amicitia Principem, quæ ab illius dignatione proficiscitur, & ex eius beneuolentia oritur. Itaque redit ad Principem honor. Nihil certè detraxit Alexandro effusa in Ephæstionem charitas, cum illum adoranti tanquam Regem

gem per errorem matri Darii, & postea erubescenti dixit: *Non errasti mater, nam & hic Alexander est*. Est in fabulis aliquid simile Christianæ veritati, quam fabulæ imitari aliquando voluerunt. Pyndaro tantum tribuit Apollo, vt eum diuini sui honoris (plane cōmentitii) participem efficeret, & in Aræ societatem vocaret, & ad cænam sacram quotidie inuitaret. Nouo quodam diuina prouidentia ita disponente ad Sacrosanctæ Eucharistiæ conuiuium, vel augurio, vel prçludio; nam profana & aliena sacris nostris seruire fas est seruato decoro. Hanc intimam Principis cum subdito amicitiam Ionathas erga Dauidem exhibuit, *Conglutinata est anima Ionatha anima Dauidis*, arctissima sanè vnio
1.Reg. 18. conglutinans animas. Sed maius fuit amoris specimen Christi supremi Regis ad hominem in Eucharistia; *In me manet* inquit, *& ego in eo*, per communionem sacrosancti Corporis sui, quod cùm deglutit homo
Ioan 6. transformatur in Christum. Longe superat hçc deglutio illam agglutinationem: hæc est opus ignis terreni, illa cœlestis. Impar longe amicitia Ionathæ erga Dauidem. Christi Domini erga hominem. Ionathas expoliauit se vestibus, vt vestiret Dauidem. Christus induit hominem. *Et habitus inuentus, vt homo*, ipsemet fit
1.Reg. 18. habitus hominis: *Christum induistis*, inquit Paulus. Pudeat sui fabulam; finxit Iouem amatorem, Amphytrionis formam sumpsisse, sed suam ei non contulisse.
Galat. 3. Amator Christus formam suam cum amico permutat in Eucharistia. Ille illudebat speciem. Hic inter species elidit substantiam panis, & trans illam, quæ perit, ponit suam, & transformatur in hominem.

Et verò videamus Principum erga subditos amicitiam, ne dedignentur, amare, & amari. Alexander Apellem pictorem in amicis habuit, eumque singulari amore complexus est: ad illum ventitare, intrare offi-

cinam

cinam, artis instrumenta inspicere, cum pueris tabulas radentibus, & colores terentibus colloqui, illum pingentem obseruare, ducentem lineamenta intueri, pigmenta adhibentem contemplari, vmbras inducentem attendere, vt discere velle videretur artem, qui præcepta bellandi dabat. Apelli tantum indulsit, vt amicam suam, quam deperibat, Campaspem expetenti Apelli fruendam dederit. In quo ipse sei ipsum victor totius orbis terrarum uicit, maiori gloria, quàm cùm orbem subegit. Non minorem sibi comparabat famam, cùm donabat Amasiam, quàm cum domabat Asiam. Seruiit amico humili augustiùs, quam cùm imperauit Regibus Augustis. Visus est æmulari cuius anhelabat virtutem Achillem, qui Phænicem Præceptorem olim familiarem suum, ad se ab Agamemnone legatum missum adeò tractauit honorifice, vt in partem Regni acceperit. Existimans nihil demere de regno cùm dimidium tradebat amico, qui sui dimidium erat. Imperabat meliùs vbi non erat, quòd sui vicem amicus gerebat. Plus auctoritatis inerat in Achille per se regnante: plus in Phenice pro se imperante voluptatis. Phænix desiit esse phænix cum Achilles regem eum fecit. Phænix vnicus, effectus Achilles, amicitiæ exemplo singulari. Regum Phænix futurus, & fælix, nisi Paris in templo per fraudem occidisset. Æquat amicitia regum Sceptris penicillos, & calamos. Subditos reges creat amore, non iure; citra iniuriam; nec arma comparat, imo deponit; quod ius extorquet, amor elicit. Amicitia eductum carcere Iosephum secundum à Rege fecit. Quo paratu? *Annulum rex Pharao tulit de manu sua, & dedit ei, vestiuitque eum stola byssina: collo torquem auream circumposuit:* quasi dotaret, ac ditaret amicitiam, eamque sibi desponsaret, ceu parem. Tantàm currum ei non primum, sed

Home. Lib. 9. Iliad.

Gen. 41

Genes. 41. vt ait Scriptura *Secundum* tribuit. *Super Currum suum secundum*, nempe in volubili, primas habebat, non secundas: currus *secundus*: erat quippe longiùs à volubilitate fortunæ, à qua erat remotior in secundo curru, quàm in primo; nisi forte ad felicitatem velificanti vtendum erat curru, seu nauigio secundo: hoc est secundis ventis afflato, vt secundissimè nauigaret. Idem prope accidit Danieli, tum à Nabuchodonosore instituto Principi super *omnes prouincias Babylonis*; tum à Balthasare eius filio, *qui eum tertium fecit in regno suo*. Minus aliquid accepit Daniel à regibus citò perituris; quorum Nabuchodonosor in feram transiit humanitate deposita, amicitia interrupta: Balthasar *minus habens inuentus*, multùm dare non poterat; itaque imminente iam fato non licuit per hoc amicitiæ eminere. Nullus tamen horum coronã dedit. Hoc fuit proprium Christi Regis Regum, qui habebat in capite suo *diademata multa*, vt ea inter suos dispertiret. Et quidem *in circuitu throni Dei sedebant seniores vigintiquatuor, & in capitibus eorum corona aurea*, singulari prærogatiua amicitię, quæ amicos coronabat.

Dan. 2. Dan. 5. Apoc. 19. Apoc. 4.

Hactenus de amicitia in priuatos Principum, nunc de Principum in Rempublicam amicitia superest agẽdum. Quod nobilius est, & vtilius genus amicitiæ. Igitur regibus cùm personam regiam induunt amor in subiectos innascitur, iique in alteram naturam cum dignitate transeunt. Homerus Reges *Pastores populorum* dixit ποιμένες τῶν λαῶν. quid autem est pastore dulcius, quid blandius, quid benignius erga oues? Quid rursum vigilantius, solertius, diligentius? Eas suscipit, regit, fouet, nutrit, potat, custodit, tuetur, dirigit; in viam reducit, & si opus est, succollat fatigatis, & humeris imponit, totum se ouibus impendit. Ei se Christus Rex comparauit *Pastor bonus* nuncupatus. Qui

Hom. Ioan. 10.

velit

velit populos in oues commutare pastorem agat, amet & curet gregem. Ideo Dauid Rex optimus, quia prius Pastor ouium fuit, & oues pauit, vt postea regeret populos. Secus Saul Rex malus. Agasonem prius agebat, non durauit eius regnum: quia non erat pastor, sed durus agaso. Agebat asinas, quę pulsantur. Res planè absurda Asinas quærere à muneribus Reipublicæ alienas. Itaque regnum illius traditum fuit pastori ouium. Is tamen debet esse pastor, vt ouis item sit, qui mactetur pro ouibus, quod accidit in profanis Regi Codro, de quo Horatius 1. Reg. 16. 1. Reg. 9.

Pro Patria non timidus mori. Ode 19 l. 3.

Huius sententiæ fuit in sacris Rex Saul, qui monitus à Samuele de morte imminente in cāpis Gelboe, certus mori cum hoste pugnauit. Cur non abstitit à fatali pugna, in qua sibi cum filiis moriendum erat? dixerat enim Propheta, *Tu & filij tui cras mecum eritis*. Nempe nouerat officium regis esse mori pro suo populo, quādo enim Rex creatur destinatur pastor, & victima populi sui. Hoc insinuat locus ille Regum cap. 16. vbi Samuel missus à Deo ad eligendum Regem Dauidem exposuit Domino iustum timorem à Saule Rege, ne si de re certior factus esset, sibi noceret. Cui Deus *Dices*, inquit, *ad immolandum Domino veni*, si Samuel ibat ad eligendum Regem, quomodo dicere poterat *Veni ad immolandum?* Moralis est hic locus, & ita potest intelligi. Regem creare perinde est, ac Regem immolari; quamuis enim pastor sit populi, oportet fieri ouem pro populo. Quam doctrinam Rex Regum, & Pastor pastorum apud Ioannem tradidit cap. 10. dum ait *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*, ubi dixit, *Ego sum pastor bonus*, declarat ouem se esse mactandum pro suis ouibus. Idque animaduertit Glosa interlinealis his verbis. *Exprimit quid sit proprium boni pastoris* 1. Reg. 28. Ioan. 10. Glossa Interl. ibi.

vitam suam pro ouibus dare: Ita cecinerat propheta.
Isai. 53 *Tanquam ouis ad occisionem ductus est*. Sic erat pastor, & ducebat oues, quomodo ductus est, nempe ut ouis ad Sacrificium. Addit *Et sicut agnus non aperiens os suum*, illo silentio professus ouem se esse, non clamantem, sed vocatam ad Aram. Animaduerto finem passionis
Ioan. 19. Christi habuisse aquam pro complemento. *Exiuit sanguis & aqua*: ait Euangelista. Quare aqua fuit terminus passionis? nimirum quia ea ad bonum humani generis
Sylua Alleg. tanquam ad finem ordinabatur: *aqua* enim in sacra Scriptura significat populos, pro quibus Christus moriebatur. Nouit hoc Caiphas cum prophetauit, *quia*
Ioan. 11. *oportet vnum hominem mori pro populo*, in quo continentur oues, pro quibus verus pastor Christus moriebatur.

Regis officium est omnia, quæ habet, ac possidet habere in manibus, vt cum opus sit expendat in vsum populi. Hinc Rex ille Artaxerxes celeberrimus *Longi-*
Plut. Polyæn. *manus* fuit appellatus, quòd longas habuit manus ad benefaciendum populis. In manibus ponebat virtutem, & magnificentiam regiam, eoque rex noscitabatur, quòd eius bona ad omnes perueniebant. Longas itaque habuit manus; sed Rex Regum Christus multò habuit longiores: qui non contentus longitudine manuum naturali, decreuit longissimas efficere manus in Cruce, vbi se regem professus est. Propterea extendit bracchia, expandit manus quas funes adduxerunt, & extenderunt, & protraxerunt ad clauorum foramina. Itaque violentia tortorum conduxit ad longitudinem manuum, vt Longimanus Rex diceretur, maiori iure quàm Artaxerxes. Quem alia item ratione superauit, dum perforatas habuit manus, vt nihil retineret, sed omnia effunderet, & donaret. Paulo ante ha-
cap. 13 betur ex Euangelista, *Omnia dedit ei Pater in manus*. Ita-

que

quę plenas manus habebat. At vt erant plenæ, eas Apostolorum pedibus supposuit, cùm eorum pedes lauit, quasi diceret: Ecce manus meas Cæli & terræ diuitijs abundantes pedibus vestris suppono, vestro arbitrio omnes Patris mei thesauros relinquēs. *Ille mihi subiecit omnia.* Ego vobis omnia subijcio. Quod alia ratione explicauit Sponsa illa diuina in Canticis. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Miram rem. Manus tam preciosæ, tamque liberales, & faciles ad donandum tornatę nobilitate aurea, & totæ exauro, quod suo pondere manus versabat, & hyacynthos quibus abundabant effundebat. Quomodo tamen plenæ hyacynthis si eos tornatili motu donabat? Semperne plenæ? Sanè; perpetuus erat motus in manibus ex tornatili structura; nec vnquam à largiendo cessabant. Huc traho dictum Augustini alio in loco. *Potestas erat in manibus Christi* ad multiplicandos hyacynthos, vti ad mutiplicandos panes. Nam tornatiles manus ingenio suo perpetuum motum inuehunt. Quomodo enim, si semel tantum essent daturæ, & torno mobiles fierent, & tornatili vicisscitudine mouerentur? Igitur vt semper donarent in perpetuo motu erant: quin & ipse motus pretiosus erat, quòd aureus, non tardus propter pondus, imo leuis, quod ipsomet pondere vrgebantur manus tornatiles, quas grauitas auri ad largiendum inclinabat. Omnia sua Christus dedit, cùm regis titulum in Cruce inclinato capite acceptauit. Totus effusus in dona dedit vestes militibus, Sanguinem Redemptis, matrem Ioanni, animam Patri, Paradisum latroni, Corpus sepulchro. Nunc capio rem mysterii plenam. Cur Christus tormentorum auidissimus non permisit, vt sibi crura frangerentur? antequam enim venirent milites ad ea frangenda mortuus fuit. Vitauit igitur illam percussionem. Rationem inquiro;

Ad Hebr. 2. Cant. 5

Aug. tr. 24.

Ioan. 19.

Ibid. dixerat paulo ante *Sitio*, quod verbum nonnulli interpretes trahunt ad desiderium patiendi tormenta. Cur igitur illud tormenti genus non acceptauit? Grauis sanè causa interuenire debuit, omnino inuestiganda. Antequam eam proferã obseruo vulnus lateris Christo inflictum in locum illius fractionis crurum successisse, sic enim ait Sacer Textus. *Ad Iesum autem cum venissent, vt viderent eum iam mortuum non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit*; quæ verba significant loco fractionis latus fuisse apertum. Nunc aperio coniecturam. Fractura illa crurum manebat tota intra Christi corpus, nec se communicabat alijs, nec ex illa quidquam foras manabat. Propterea Christus liberalissimus, & qui sua omnia alijs donabat, & effusissimè donabat, noluit illud vulnus accipere quasi sterile reputaret, & conuertit illud in vulnus lateris ex quo effundendus erat sanguis, & aqua. Iuuat illud verbum, *aperuit*, vt apertum esset, & manifestum hominibus vulnus illud, per quod exibat sanguis & aqua in remediũ populorum qui per *aquam*, vti proximè dixi, significabantur. Elegit ergo patentem ianuam in pectore aperto ad præstandam, & manifestandam liberalitatem, exclusit autem fracturam crurum occultã, & intra se manentem sine testimonio effusionis. Apage hinc Deum illum Marcionis auarum, & sterilem, de quo ait Tertullianus, ad Marcionem conuincendum, *ne vnam quidem cicerculam donare potuisse*. Pudeat autem Auerroem suæ imprudentiæ, cum admiratus Sacramentum Eucharistiæ, negauit se adoraturum esse tanquam Deum eum, qui se manducandum dabat; imprudenter sanè, imo quia se manducandum dedit adoran [illegible] mirabili eo modo donandi; vt omnibus modis se daret. Et quidem congruenter; nam ille agnum se fecit victimam nostram. Agnus autem,

Cõtra Marc.

Auer.

&

& mactatur, & manducatur. Vtramque igitur rationem impleuit Christus, & mactatus in Cruce, & manducatus in Sacramento. Auerroes probabat Deos fictos, & commentitios, qui deuorabant alios, qualis erat Saturnus, qui proprios filios manducabat. Stolidè sensit. Aliter nos docuit prudentissimus, & Sanctissimus Propheta Dauid cum dixit *mãducauerunt, & adorauerunt.* Quasi ratio adorandi esset ratio manducandi, præposuit *adorauerunt*, vt causam innueret adorationis. Adorandus quippe est Deus, qui sic amauit homines, vt non dubitaret pro ipsis mactari, & ab ipsis manducari, modo tamen mirabili in sacrificio incruento, ne quid horroris in eo manducandi genere appareret. Ps. 21.

Alius item locus satis difficilis ex prædictis facilè à me intelligitur; nempe ille Iudicum cap. 9. vbi arbores de eligendo sibi rege deliberant. Veniunt ad oliuam dicentes: *Impera nobis*. Hac vero petitionem reijciente veniunt ad ficum, quæ item postulata refutauit; Pergunt ire ad Vitem dicunt; *impera nobis*, sed illa repudiat petentes. Afferunt verò causam, *non possum deserere pinguedinem meam, dulcedinem meam Vinum meum.* Non capio rationem. Offerre regnum est auferre bona regum? imo conferre bona regibus. Quare igitur contrà sentiunt, & dicunt non possum deserere, quasi si regnarent priuandæ fructibus suis essent? Iure tamen egerunt arbores: prudenter intellexerunt regum officium esse dare sua subiectis, non accipere subiectorũ. Qui regnum datur is spoliare se debet proprijs bonis, & auferre à se omnia vt populis bene faciat. Nullũ ius regnandi habet Rex inutilis ad donandum vt sit Princeps sanguine, & conditione, si careat liberalitate cadit regia potestate. Insignis locus est ad hoc probandum ille lib. Geneseos cap. 36. In vtero Thamar duo gemelli

gemelli continebantur Zara, & Phares de his ait Scri-
Genes. 38. ptura: *In ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in*
qua obstetrix ligauit coccinum dicens: iste egredietur prior;
& addit; *illo retrahente manum egressus est alter.* Rem
plane memorabilem! Quare Zara accepto coccino
retraxit manum? Si illud erat signum imperandi? Ni-
mirum sensit ligari sibi manum, seque inutilem ad re-
gnum existimauit; sic raciocinatus est. Princeps, qui
manus ligatas habet ad donandum est ineptus ad re-
gnandum. Itaque sponte rediit ad vterum ligatus vti
erat coccinis, tanquam ligatus institis ad sepulturam.
Puduit sui, tumulari voluit, ac sepeliri, & pro cuna-
bulis habere sepulchrum maluit. Confirmat conie-
cturam sequens euentus. Egressus *est alter*, id est Pha-
res, *dixitque mulier: diuisa est maceria*: Cur fecit mentio-
nem diuisionis? nempe quia Phares liberas, & expe-
ditas habuit manus ad diuidendum: in signum libe-
ralitatis, cuius est diuidere, dispertire, distribuere bo-
na. Hoc erat argumentum futuri regni, non habere
manus ligatas, sed solutas, & liberas ad donandum.
Hæc igitur causa fuit regressionis Zaræ in vterum, &
egressionis Phares ex vtero ad imperandum. Oriens
significatur per nomen Zara in Hebraica lingua: sed il-
lè Oriens in Occidētem transiit propter ligamen ma-
nus; successit ergo in locum & omen Orientis Phares
diuisor, & distributor. Confirmo rem, quòd est obser-
uatu dignissima auctoritate S. Hieronymi. Sentit hic
Hieronym. filum illud coccineum ligatum fuisse posteà in manu
Phares, eiusque sententiam probat Hugo Cardinalis
in hunc locum Genesis. Ex quo mysterium aperitur.
Antequam nasceretur Rex non habuit ligatam ma-
num, sed liberam & expeditam Phares, vt Rex nasce-
retur; postquam autem est ortus liber, ac expeditis
manibus, tunc accepit coccinum in signum primoge-
nituræ

niturǽ, & imperii. Præcessit ergo natiuitas, & ius Regis ligamen manus, quod ante natiuitatem erat impedimento, & post natiuitatem signo, & ornamento. Ità in hunc locum Hugo Cardinalis. *Hieronymus dicit super 3. Reg. 1. quod ligatum fuit filum in manu Phares. Sed potuit esse quod postquam vterque ortus est, tulit obstetrix coccineum de manu Zara, & ligauit in manu Phares, vt de similibus gemellis primogenitus distingui posset.*

Infelix vitæ Zarę illa purpurea vitta fuit, quæ eum ligauit; felicior extitit illa fascia, seu vitta purpurea diadematis Alexandri, quam ille sibi detractam Lysimacho vulnerato dedit, vt vulnus suum obligaret. Filum coccineum fuit insigne regium cum collocatum fuit in subdito: non verò quando mansit in Principe, nam in Principe ligabat propriam manum, in subdito fouebat, & obligabat vulnus. Fèlix item fuit illud subligaculum à Rege Angliæ collatum in alterius bonum, & in regium ornamentum translatum, quo Europę Reges, ac Principes expetunt ornari, & insigniri, vnde manauit Ordo *Iarretera*. Profana hæc sunt. Claudamus ratiocinationem Sacro illo funiculo Iosue 2. vbi Rahab ad liberationem paternæ domus illum in fenestra ligauit, & voti compos effecta præmium accepit beneficii per funem collati in exploratores Hebræorum, quos illa mulier demissos per funem in fenestra appensum liberauit. Nobilia sunt ista ligamina, & salutaria, quia proueniunt à manu libera, & expedita ad benefaciendum, non autem à manu Principis ligata, quæ reddit inutilem ad vsum aliorum. Et quidem per vittas, & funiculos amoris officia, & amicitiæ beneficia significantur dicente Scriptura: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Osee 11.

Plut.

CO-

CORONIS

PAR AMICORVM

Pelopidas, & Epaminondas.

Quibus ego vos præconiis efferam viua ſpirante
Græca libertate miracula !
Ambo Thebarum columnæ, quibus nixa ſtetit
Labente reliqua Græcia.
Vos imminentis ſeruitutis iugum auertiſtis, &
Ambientium Tyrannorum
Cupiditatem eorundem ſanguine
Extinxiſtis.
Optimi domi Ciues: feliciſſimi foris Imperatores:
Diuerſis ſtudiis
Eamdem Patriam
Tuentes.
Vnus Epaminondas, & robore, & doctrina excellens;
Alter Pelopidas
Militari fortitudine
Præſtans.
Alter otium litteratum negotiis miſcuit:
Alter totus negotioſus
Otium vel eruditum
repudiauit.
Cum potentiſſimis Regibus ſuſcepiſtis bellum,
Fortiter geſſiſtis:
Ac feliciter pro voto patriæ
Confeciſtis.
Ad Leuctra ingenti prælio cum Lacedæmoniis
fortiſſimis Græcorum

Lu-

Luctati primi vinci eos posse;
Docuistis.
Victricem vrbem, & Regios gerentem spiritus,
Ad sordes lugubres,
Et tenebras miserabiles
Redegistis.
Profuistis Patriæ, tum inita inter vos amicitia,
tum collato
In hostes odio: summa summi Duces consensione
Bellastis.
Neuter inuidit alteri: vterque alterum sibi prætulit,
Vbi conduxit patriæ
Raro inter maximos, & pares Imperatores
Exemplo.
Dedistis duo duos Hercules Thebis, quæ tot seculis
Vrbi Græciæ
Vix vnum Herculem dederat;
Geminos Menæceos
Præstitistis.
Ad Pharsalum Pelopidas contra Pheræum prius:
Epaminondas posteà
Ad Mantineam aduersus Agesilaum
Pugnantes occubuistis.
Et viui, & mortui victores extitistis: in ipsa
Victoria functi
Officio, & defuncti.
Mori potuistis, vinci non
Potuistis.
Victrices animas effudistis pro patria, quæ cum eas
In sinum accepisset
Vobiscum extingui voluit, quasi puderet sui
Si vobis extinctis viueret.
Amisit libertatem, quæ anima est Reipublicæ;
Esse desierunt Thebæ

Cum vos esse desijstis;
Intra patriam cunabula: extra, Sepulturam habuistis.
Illa vos ad sepulchrum insecuta est, elata,
Appendix Cineris vestri.
Vobiscum, & funera,
Et funeranda.

EPIGRAMMA.

Ite pares animis Thebarum lumina, gestis
Officiis, ausis, moribus, ite pares.

Perque gradus patriam labentem adducite, vestris
Nixa humeris celsum tollet in astra caput.

Leuctra prior saeua Lacedaemonis arma repressit,
Pharsalis edomuit colla superba Ducis.

Ad Mantineam cecidit Spartana iuuentus,
Quae renouare ferox bella parabat adhuc.

In medio cursu mors inuida sustulit ambos,
Ne possent vinci, praestitit antè mori.



LE-

LECTIO DECIMA

Amicitia tuetur regna. Inimicitia euertit.

Ad Textum Aristotelis.

Ἔοικε δ' ἡ καὶ τὰς πόλεις συνέχειν ἡ φιλία.
Videtur Amicitia ciuitates continere.

DOCVMENTVM X.



Mperij origo. Amica societas. Adam nisi Eua condita non dominus. Amor parat Regna. Paradigma Absalon. Cur eius Cor tribus lanceis confixum? Melchisedech Rex Salem ab excellentia, & largitate. Annona instrumentum Principis. Eius vilitas charos facit Reges. Plus momenti ad imperandum in Horreo, quàm in Armamentario. Inter frumentum, & coronam concordia. Monstratur exemplis Isbosethis, & Dauidis. Spurij Cassij, & Melij & Manlij. Imperatores, & Principes ab Aratro. Reipublicæ vtilitas scopus Regum. Ea populos morigeros efficit. Alexãdri exemplo suadetur & varijs sacræ paginæ locis, tum veteris testamenti, tum noui. Cur in Arca Testamenti virga Aaronis? Quid septem stellæ in manu Principis Cœlestis in Apocalypsi? Pallium indicat Regnum, quod eo foueatur populus. Ponderantur varii loci sacri, & profani de Pallijs, de Iehu, de Abia, de Samuele, de Æsculapio; de vestimentis à turba proiectis in via in die Palmarum.

OMnia regni instrumenta continet, quæ à Græcis dicitur Φιλανθρωπία, siue amor hominum subiectorum, ab hoc amore tamquam à fonte initium traxit imperium. Docuit hoc Deus Gen. 1. & 2. Hoc paradigmate. Condidit primum Adam solum, sine consortio, sine societate, priuatum socia, & amica, & in hoc statu solitario inepto ad amicitiam adduxit ad eum omnia animalia, vt ea quorum futurus erat Dominus agnosceret, & nominibus propriis distingueret: *Vt videret*, ait Textus, *quid vocaret ea*, idest animalia. Non tamen ei tunc dominium tradidit, neque subiecta homini fecit: sed expectauit, dum Euæ mentionem intulit, & tunc dixit, *Dominamini* Genes. 1.

Glosa ordin. Mirabili certè ratione, nam cum in hoc capite nondum esset Eua condita, uti notat glossa Ordinaria hoc loco, quæ in secundo habetur, quia in 1. cap. mentio erat facienda dominii, anticipauit mētionem Euæ, ne imperium Adamo Solitario assignaret. Itaque non dixit vni Adamo *Dominare*, sed ambobus *Dominamini*; documento: imperium amicitiæ fructum esse. Imperauit, virtute societatis, & amoris; & quamquā locus ille primi capitis Genesis non contineret propriam formationem Euæ, quæ ad secundum caput pertinebat, anticipauit mentionem sociæ & amicæ in ordine ad imperium conferendum, quemadmodum

Lyra ibid. ait Lyra *dicitur per anticipationem* vt indicaretur, opus esse amicitia, tamquam ratione dominii conferendi; nam vbi nomen erat dominii, præmittendum erat nomen amicitiæ. Nouit hoc Absalom; qui cum affectaret Regnum nihil prius egit, quam conciliare beneuolentiam populi, vti narrat Scriptura 2. Reg. cap. 15. *Solicitabat*, inquit, *corda virorum Israel*, & omnia signa amicitiæ exhibebat. Mane consurgens *stabat iuxta in-*

troitum

Ciuitatis porta. Salutabat ingredientes, *extendebat manus suas, & apprehendens osculabatur eos.* Hac arte aditum ad regnum sibi parauit: Ideo in porta Ciuitatis, vt aperiret aditum ad regnandum, instrumenta ministrabat amor, obsequiis & officiis, salutationis, amplexus, osculi: his blanditiis, ut ait Hugo Cardinalis: breui inescauit populum, collegit exercitum, regnum affectauit. Credidit illud se adepturũ, si corda hominum possideret, quia virtus regnandi in corde est. Qui corda tenet, Sceptri iura occupat. Testatur ipsemet Absalon. Quare hic à Ioabo Principe militiæ percussus in corde? Et quidem lanceis tribus Reg. 2. c. 28. *Tulit ergo tres lanceas, & fixit eas in corde Absalon.* Reliquum corpus intactum reliquit. Solum Cor transfixit. Apte quidẽ & subtiliter: locum amoris, vbi erat omne ius regni affectati, percutiendo significauit: voluit punire crimen vbi conmissum fuerat. Amor peccauerat: Amor plectendus erat. Erat autem crimen furtum Cordium. Sic enim Lectio Hebrea *Furabatur corda virtutũ Israel.* Ad auferendum omne ius imperii debuit Cor transfigi: eo quippe transfixo radix ambitionis tollebatur. Rex sine corde, & sine amore truncus est. Actum est de Principe cuius amor periit. Verùm, cur *tres lanceas tulit, & infixit in corde Absalon* Ioab, & totidem ictibus Cor transfixit? nimirum, vt penitus amorem extingueret, & nulla scintilla remaneret. Amabatur tribus amoribus Absalonus, priuato amicitiæ, beneuolentia populi, affectu militum. Omnes abstulit prudens Ioabus: amorem priuatum vna lancea extinxit: beneuolentiam populi altera: affectum militum tertia. Totum amorem exhausit ictibus, & frigidum reliquit Cadauer, prorsus incapax imperandi, omni amoris igniculo destitutum. Obiter obserua, quanta sit vis amoris; tres vitas tribuebat Absaloni, qui tripliciter viue-

Hugo Card.

2. Reg. 18.

habebat ad regnandum in manibus. Panem quippe, & vinum proferebat. *Proferens panem, & vinum*, eo titulo regnum promeruit, quòd amicè largiebatur, & donabat. Ita regnum instituit, & intulit: annona parauit coronam, conuiuium conciliauit imperium: cùm præsertim illud munus panis, & vini Eucharistiã Sacramentum, & signum diuinæ cum homine amicitiæ figuraret. Accedit: interpretes hoc in loco tradere Melchisedechum Abrahamo, eiusque militibus liberale conuiuium præbuisse. Magnus Pompeius numquam populum Romanum tam propensum, & amicum habuit, quam cum famem ab Vrbe expulit, magna vi frumenti ex Sicilia Romam aduecto: onerariis, quàm classibus gloriosior: frumentarius Ciuis superauit seipsum clarissimum Imperatorem: victoriis magnus fuit: cibariis maior, fame domita maximus. Id Massanisæ regnum confirmauit: non horror hostium, sed horreum frumenti populo Romano sæpius apertum. Spicæ vicerunt spicula: grana pila: Areæ acies: annona coronas. Plut. Valer. Max.

Nunc capio quid sibi voluerit insignis ille Dux, ac militiæ Principis Abner, cùm obtulit Regnum Israel Dauidi soli Tribui Iudæ, & Beniamini imperanti. Misit nuncios ad Dauid his verbis. *Cuius est terra*, & mox *faciamus amicitias*. Quorsum hæc? nimirum iis artibus parabatur regnum si *Terræ*, id est culturæ, & annonæ meminisset; nempe futurum regem qui terram excoleret: eo niti amicitiam. Amicum facit populum Princeps, qui terræ fructus curat, & communem vtilitatem tuetur; qui fructificat populo, huius est regnum. A Vomere ad sceptrum itur. Ligo ligat regnum, & Ciues. Aratrum consiliat atros, & atroces animos, & amicos, & subactos reddit. Olim Imperatores ab Aratro ad Imperium conducti, *gaudente terra* Plin.
vo-

Vomere laureato, triumphali aratore. A terra exculta ad frumētum ascendere debuit Dauid ad Solij ornamentum. Quid? quòd tritici, summa est cum Sceptro necessitudo? 2.Reg 4. Cum pararetur Regnum Dauidi Rechab, & Baana filii Remmon Berothitæ, qui id negotii susceperant Isbosethum è medio tollere voluerunt: qui quòd erat Saulis filius obstabat Dauidi Regnum occupaturo. Igitur clam in eius domum ingressi inuenerunt Ostiariam, quæ purgabat triticum
2.Reg. 4. dormientem. Hìc vigilandum. Ecce in domo regiā triticum: horreum, non armamentarium. Hoc erat indicium palatii. Palatinum, & Aulicum est frumentum. Percussores arrepta occasione dormientem Isbosethum aggredi conantes occasione somni meridiani, assumunt spicas tritici, & illum ferro inuadunt. *Assumentes*, inquit Scriptura, *spicas tritici percusserunt eum*. lib. 2. Reg. cap. 4. Quorsum spicas præferentes facinus patrant? Quid spicis cum trucidatione Principis? nempe causam regiam agebant, quam spicæ significabant, nam ferebant spicas stritici de domo Isbosethi Regii Iuuenis ad Domum Dauid futuri regis, cui perinde erat deferre triticum, ac deferre sceptrum. Ille qui indormiebat tritico negligebat Regnum Somnus ęternum ei somnum peperit. Regnum ad eum transiit, qui vigilabat, vt prouideret. In domo tritici, quæ ordinatur ad sustentandum populum non habitat somnus. & incuria; sed vigilia, & diligentia. Parricidium, siue Regicidium supplicium iustum fuit incuriæ Principis somnolenti. Itaque Isbosethus neglectę annonæ pœnas luit. Dauid verò diligentiæ, & custodiæ frumenti præmium tulit. Præterea grana tritici concordiam, & amicitiam significant, dum in eadem spica continentur & clauduntur. Quin ipse panis Symbolum est amicitiæ, quam teste Augustino
panis

panis Eucharisticus propter materiam, figurabat nempe *panem qui ex multis granis in vnus coactim conficitur*. A panibus Ioseph ad solium euectus. In Bethlem domo panis natus est Christus, & ibi inuentus, & dictus à Magis *Rex Iudaeorum*. & ipse prope boue, & inter paleas natus instar frumenti: cuius ille se granum dignatus est appellare. Post illud conuiuium ad mare Tiberiadis multiplicatis panibus inuitatus est Regno à turbis: tam coniunctum est cum regno munus distribuendi panes. In quam rem magnopere obseruandum Christum in Cruce appellatum fuisse regem, & confirmatum ei titulum iudicis auctoritate *Quod scripsi, scripsi*. Christus autem in Cruce vbi Rex erat panem repręsentabat secundum prophetam *Mittamus*, inquit, *lignum in panem eius*, vocat panem ipsum Christi Corpus, idcircò coniunctum cum Regio titulo. Quadrabat regnum in dominum, qui panem pręseferebat. Quinetiam in profanis regnum sequebatur annonam. Hoc sibi persuaserant Spurius Cassius, & Spurius Melius, & Marcus Manlius Romæ, qui Regnum affectarunt per gradus annonæ, quòd momentum Imperii in re frumentaria esse viderunt. Agraria lex plurimùm Romana in Vrbe dominabatur, & varios Reipub. status induxit pro sui varietate. Optimi quique reges agricolarum amici extiterunt, iisque vehementer fauerunt, quòd senserant regias partes esse frumentis incumbere, & abundantiam panis procurare. Illustris quidam Lusitaniæ Rex propterea *Arator* appellatus quòd aratrum diligebat, ac aratores ad colendos agros incitabat, & multis præmiis compellebat. Non absurdè igitur Cæsar Augustus vt remuneraret Virgilium, panes augebat, & immeritò taxatus est à Virgilio, quasi pistoris filius esset: nec enim indignum erat Imperatoria Maiestate panes pro merce-

Aug. tr. 26. in Ioan.

Ioan. 6.

Ioan. 19.

Hier. 11.

Donat. in eius vita.

de assignare, & augere annonam. Augustum, munus illud decebat, & dignum Cæsare putabatur.

Qui reges gratiam populi comparare velint, eos oportet esse munificos, liberales, imo & felices, & fortunatos. Et quidem comperimus hanc veritatem duobus mysteriis inuolutam. Nascitur Christus in Præsepio, moritur in Caluario. Ad eum in præsepio positum accurrunt ex Oriente Reges, *Venimus adorare eum*. Ab eodem in Cruce posito reuertuntur, ac recedunt multi, qui aderant eius morti. *Reuertebantur*. Quare isti recedunt è Caluario, & illi accedunt ad Præsepium! Multæ, & graues causæ afferri possunt: agimus enim allegoricè, & moraliter. Liceat mihi per pios lectores vnam, & opinor, probabilem adducere. Ad Præsepium veniunt qui Stellam viderant in Coelo radiantem, quæ ipsos ad Præsepium rectà ducebat, aiunt enim Magi *Vidimus stellam eius in Oriente*, & venimus. Ecce causa veniendi: Stella in Oriente visa, erat igitur Rex simul cum Stella inuitante. Contrà in Caluario erat Christus, & quidem Rex; sed in Occidente obscurato Sole, tenebroso Coelo, lux non apparebat. In iis tenebris homines nulla comperta felicitate, quæ lumine significatur, relinquebant locum, & reuertebantur. Tantum discriminis afferebat Stellæ præsentia, & absentia; homines, quippe sequuntur fortunam, & felicitatem. Huc pertinet dictum illud celebre Herois Romani, *Plures*, inquit, *adorant Solem Orientem, quàm Occidentem*. Redeo ad propositum. Christus habuit stellam in Oriente quando natus, in Occidente quando mortuus, inde ergo oriebatur ratio differentiæ, quòd ad Præsepium homines veniebant, à Caluario recedebant. Iure Princeps ille Coelestis similis filio hominis in altari inter aurea candelabra ostentabat manum septem stellis

[Margin notes: Matth. 2. — Luc. 23. — Plut. in vita Syllæ. — Apoc. 1.]

stellis plenam. *Habebat in dextera septem stellas*, vt scilicet adorantibus monstraret se felicitatibus abundare, quas homines sponte, & auidè sequuntur, quemadmodum expertus est primùm Sylla, deinde Pompeius Romæ, qui dum felices fuerunt multos habuerunt sectatores, cum verò mutata fortuna infelices cœperunt fieri deserti sunt, præcipuè Pompeius, & in maximas calamitates deuoluti. Nec desunt in Sacris exempla, nam Dauid postquam eum persecutus est Absalon totum penè populum à se deficientem vidit. Melius tamen documentum capitur ex Petro. Positus in monte Thabor conspecta gloria transfigurati Christi, & gloriosa societate Principum Prophetarum Moysi, & Eliæ exclamauit dicens, *Bonum est nos hic esse: faciamus tria tabernacula*. Cur quæso non dixit similia in mari quando *iactabatur fluctibus*, nimirum quia aliud erat tempus tempestatis, aliud locus felicitatis. Non erat adhuc Petrus perfectus: loquebatur humano more, & imbecillitate propria alios instruebat, nempe mortales amare gloriam abundantiam, & felicitatem. Nouit hoc Deus cum iussit poni in Arca Testamenti tabulas legis, & virgam frondeam Aaronis. Cur non imperauit mitti in Arcam virgam illam Moysi qua patrauerat prodigia in terra Egypti? Nimirum, quia virga Aaronis, quæ fronduerat significabat flores bonorum, & felicitatum, virga vero illa Moysis supplicia, & calamitates. Cum igitur vellet Deus vt Tabulæ florerēt obseruātia præceptorum, applicuit eis virgam floridam, & frondeam, non autem asperam & infęcundam. Propterea in Sacro textu exprimitur, *& virga Aaron quæ fronduerat*.

2. Reg. 15. Matth. 17. Matt. 14. Heb. 9

Errant grauiter illi reges, qui terrere volunt subditos, non amare; beneuolentia capit, & trahit animos,

timor auertit, & alienat; qui terret non proficit, proficit qui amat. Malus imperij custos est metus, nam qui timetur tyrannus est. Rectè Claudianus

4. Consul. Honor. *Qui terret plus iste timet, sors ista tyrannis Conuenit.*

Plut. in Apophteg. Alexander ille magnus documentum præbuit cum Eudemonico Philosopho formare tonitrus scienti, & iis adstantes exterrere solito, & dicenti. *Quin tu*, inquit, *Alexander tale quiddam non facis, vt maiestatem augeas.* Cui seriò ac seuerè respõdit. *Nolo meis esse formidini, sed beneuolentiæ.* Digna tanto Rege vox prodesse volentis non obesse. Inutilis est ad regnandum asper, & rapax Princeps, cuius figuram prætulit ille Rhamnus, qui fuit inuitatus ad regnum ab arboribus postquam oliua, & ficus, & vitis oblatum regnum repu-

Iud. 9. diarunt, acceptauit ille, qui figurabat Abimelechum tyrannum: ad hunc scopum collimabat Ioatham cum apologum istum induxit: quare in exemplum tyranni Rhamnum traxit: nimirum quia Rhamnus planta est spinosa, quæ accedentes pungit, & insinuantes sese apprehendit, ac eorum vestes lacerat, & rumpit, tales sunt tyrãni ad perniciem populorum comparati. Iure Seneca. *Violenta nemo imperia continuit diu.* Ipse

Ibid. Abimelechus experimento docuit breui à femina interemptus. Quod item accidit Alexandro Pheræo

Plut. in Pelopida. Thessalorum tyranno, quem vxor Thebe interfici iussit. His annumerandus est Dionysius tyrannus, & cęteri, quorum exemplis historiæ plenæ sunt. Amore parantur regna. Is ea donat, & seruat. Terror, & iniuria euertit, & dissipat. Mirum cogito, & libenter exprimo, & causam inquiro. Lib 4. reg. vngitur in regem Iehu noua, & insolita cæremonia cap. 9. Erat vnctus in Regem à filio Prophetarum misso ab Elisæo. Ecce tibi populus, qui frequens aderat exuit se palliis suis, &

deponit in terra, & formato ex iis solio, sine Tribunali, imponunt Iehu super illud. *Vnusquisque*, inquit Sacer Textus, *tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, & in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, & dixerunt: regnauit Iehu.* Rem prorsus abstrusam, quæ indiget luce. Afferat eam nobis locus Euangelicus apud Matthæum, & Lucam, qui narrant triumphantis Christi habitum ingredientis Hierosolymam in die palmarum. Ibi enim salutatur Christus Rex. *Ecce Rex tuus. Benedictus qui venit Rex.* Animaduerto simile quoddam factum interuenisse. Imposuerunt quippe pro clitella vestimenta sua, *& strauerunt vestimenta in via.* Comparemus vtrumque. Vestimenta substernuntur Christo, & eadem supponuntur Iehu, vtrique regi. Igitur ea cæremonia deponendi, & subiiciendi vestes rem continet regiam. Videamus causam. Aliis aliud videbitur. Mihi placet eo ceremoniā istam spectare, vt populus expoliatus vestibus demonstret se amatorem esse Regis, quatenus se denudans imitatur amorem, qui nudus pingi solet. Itaque testatur amorem erga suum regem, quem eligit amando ad amandum, idest ut ab eodem redametur. Rex autem assumendo vestes significat à se illis indutum iri subditos suos, & in eorum vsus vestes habiturum, nempe vt eos foueat, tegat, & ornet vestibus acceptis. Vestimenta quippe tegunt, & fouent, frigus expellunt, quod est proprium ignis, & amoris: quale officium omnino à Regibus populis præstari debet, qui Ciues suos tamquam filios vestire debent, ac fouere. Necesse est igitur, ut mutuo se amore prosequantur Reges, & subditi: propterea populus exhibebat, & donabat vestes, & Rex inuicem accipiebet, & redonabat; idque in vtroque euentu, & Christi, & Iehu figurabatur. Confirmatur hæc coniectura ex contrario facto prophetæ Ahiæ, qui 3. Reg. 11.

Matt. 21 Marc. 11.

11. Scidit pallium suum nouum coràm Ieroboamo, sic enim Scriptura. *Factum est vt Ieroboam egrederetur, & inueniret eum Ahias Propheta opertus pallio nouo, & scidit in duodecim partes*. Quorsum hoc? vt significaret Roboamum filium Salomonis Regno Israelis esse priuandum, quod ad Ieroboamum præsentem transferendum erat. Ratio mysterij fuit vestibus adumbrari regnum: illud pallium nouum repręsentare integrum regnum, quo potiebatur Roboamus, tùm Iudæ, tùm Israelis; quòd pallium dum scindebatur, monstrabat regnum auferri à Roboamo, nec enim vestis lacerata, & rupta apta erat ad populum regendum, vestiendum, & fouendum. Partes vero, quæ manebant transibant ad Ieroboamum, monendo ipsum, vt iis tanquam vestibus foueret, & protegeret subditos, quos accipiebat. Aliter etiam potest intelligi, vt declararet Ieroboamum deuenturum esse tyrannum, quia partes tantùm vestium accipiebat, non autem integrum pallium, quę non satis erant ad Ciues operiendos, & ornandos. Idcirco Deus cap. 6. Isaiæ ita sedebat in throno, vt vestes quę ipsum induebant replerent totum templum, in quo erat solium collocatum, vt significaret regiam
Isai. 6. protectionem ad omnes populos esse extendendam. Sic enim intelligo illa verba: *Sedebat super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant replebant Templum, vt ad totum populum operiendum, & protegendum vestes effunderentur*. Hoc exemplum imitari reges debent vtendo pallio ad suos operiendos, & fouendos, quemadmodum reperimus in Sacra Scriptura 1. Reg. cap. 28. in quo narratur Samuel apparuisse Sauli amictus pallio. Princeps fuerat Samuel, & adhuc mortuus pallium retinebat, ac erudiebat Saulem Regem se consultantem: officij Regij munus esse pallium conseruare, quod vltra cineres beneuolentia, & beneficentia

ficentia Regum in subditos tenderetur. Tyrannidis Dionysij signum fuit auferre pallium aureum Æsculapio, quo in templo erat opertus, quippe qui alios spoliat vt se vestiat, is tyrannus est. A solio postea, quod accidit Dionysio, deturbandus.

Cic. de Diuini.

CORONIS

PAR AMICORVM

Scipio, & Lælius.

ELOGIVM.

Scipioni, & Lælio
Geminis ingenio indole, moribus: Prisci æui; seueris
Romæ alumnis:
Incorruptis, grauibus, castis,
Supra Censores integris,
Sine næuo.
Amicitiæ cultoribus Sanctæ, fidelis, firmæ;
Qui sic amarunt
Vti semper amaturi:
Nunquam osuri.
Præferentes sese inuicem quoad cultum;
Minimè cedentes.
Quoad amorem.
Nunquam interrupto officio: nullo expectato
Beneficio:
Nullo prætermisso obsequio.
In dispari fortuna pares: animis nunquam discordes,
Scipio belli fulmen:

Læ-

Lælius pacis lumen.
Ille Paludatus, hic Togatus: diuersis muneribus,
Iisdem virtutibus.
Terribilis hostibus Scipio: Lælius amabilis Ciuibus:
Maior natu Lælius.
Minor Scipio:
Sed maiora nactus.
Hos tamen æquauit amicitia..Obiit prius Scipio
Oppressus triumphorum mole.
Superfuit Lælius, ne totus moreretur Scipio:
Haud diù tamen superstes
Lælius
Repetente sui dimidium ab Lælio Scipione:
Præstitit Lælio Scipio
Gloria militari.
Excelluit Scipioni Lelius, quòd nomen amicitiæ
Nomen est Lęlii
Apud Ciceronem.

EPIGRAMMA.

Scipio par Lauro, par Lælius alter Oliuæ;
Ille sagi, doctus munera, & iste Togæ.

Nexus amicitiæ geminos coniunxit in vnum;
Obsequiis Patriam iuuit vterque suis.

Scipio pollebat virtute, at Lælius arte:
Ense potens primus, mente secundus erat.

Scipio plura tulit superato ex hoste trophæa:
Legibus erudiit Lælius arma suis.

Maior vter fuerit nolunt contendere, quando
Numen amicitiæ fecit vtrumque parem.

LE-

LECTIO VNDECIMA.

Ad textum Aristotelis Cap.2. Lib.8.

Οἱ δ' ἐξ ἐναντίας, κεραμεῖς πάντας τοὺς τοιούτους ἀλλήλοις φασὶν εἶναι.

Alij contrà dicunt hos tales, ideſt, Amicos Figulos inter ſe omnes eſſe.

DOCVMENTVM XI.



Nuidia Amicitiæ aduerſa. Angelorum in Cœlo prauorum peccatum. Fratres Ioſephi inuidi. Ab ictu inuidi nemo euadit. Saul exemplum. Nocet *inuidia opprimens dotes, & obſcurans, vltra mortem tendit, ſepelit hominem ne luceat. Iacobi ſupplantantis Eſau, & dæmoniaci habitantis in ſepulturis apud Euangeliſtas, & draconis in Apocalypſi è cœlo deturbati exempla narrantur. Quæ ſint tenebræ* conculcantes *in Dauide, quæ* poteſtas tenebrarū *in Luca? Abiathar, & Sadoc Summi Sacerdotes ad doctrinā adhibentur. Lazarus reſuſcitatus, quem* Iudæi *quærebant interficere rem inuidia continet. Cur ſanguis Abelis de terra clamabat, & ſanguis Chriſti ſudantis in terram cadebat? Inuidus peruertit naturam. Videt vitia, & mala, non bona tenebras non lucem. Heli Pontifex Paradigma. Proprium inuidi eſt cæteros inutiles & truncos exiſtimare. Id Cæci hiſtoria in Euangelio homines vti arbores ambulare videntis comprobatur.*

INuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Diabolicum vitium non potuit non esse. Amicitiæ contrarium, cuius auctor Deus est: Bis inuidit Diabolus, & inuidiæ auctor fuit. Primùm in Cælo cùm intellecto Diuinæ Incarnationis mysterio inuidit homini, & amicitiæ, quam per Dei gratiam cum ipso Deo contraxerat, renunciauit. Secundùm cum in Paradiso inspecto Dei in hominem fauore, & beneuolentia exarsit inuidia, & ipsum hominem rebellem Deo fieri procurauit. Noxium inuidia malum. Nocet amicitiæ. Si quis amico præstanti doctrinarum, & virtutum dotibus cæperit inuidere, amare desinet, & odisse incipiet. Eiusmodi traditur fuisse Aristoteles in Platonem, Crassus in Pompeium, Ruffinus in Hyeronimum. Fraterna societas inuidia rupta. Hinc cædes Abelis innocentis. Hinc Iosephi venditio, quam oportet expẽdere; quòd doctrinam contineat. Amabatur hic à Patre tenerius, tractabatur, humaniùs, ornabatur splendidiùs. *Diligebat*, inquit textus, *Iacob Ioseph super omnes filios suos*: sequitur. *Fecit ei tunicam polymitam.* Irritauit fratres prærogatiua. *Oderant eum, nec poterant ei pacificè loqui.* Extinxit amorem inuidia, excitauit odium. Quid? quòd somnia ei nocuerunt. Non debuerant fratres puero somnianti credere, imo ne extra somnium quidem loquenti. Pueritiæ dandum quidquid ille iactaret, siue in vigilia cogitatum, siue in somno fictum: hoc somniantis vanitati tribuendum. Ecquis enim somniis credat? Pilatus in re summi momenti nocturnæ visioni vxoris noluit credere dehortantis à sententia in Christum capitali ferenda, quòd animaduertit in somnis illud accepisse: quamquam illa constanter affirmare per visum multa se passam, & timore compulsam petere, ne Christus damnaretur, & somnium ne-

Sap. 2. Gen. 4. Genes. 4. Matth. 27.

garet

garet esse, visionem quippe appellabat. Neglexit Pilatus. Existimauit nocturnum visum pro spectro habendum, & inane reputandum, quia is non torquebatur inuidia. At vero inuida illa fratrum cohors fidem habuit somnio Iosephi, ceu foret visio, & reuelatio. Nempe inuidia, quæ animos occupauerat, è somnio diuinationem fecit, & ratum illud habuit, quòd puero machinabatur interitum. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Inuidia patria expulit Themistoclem, & Ciceronem: vtrunque seruatorem Ciuitatis. De Themistocle Plutarchus, de Cicerone ipsomet ad Atticum *Non me inimici, sed inuidi perdiderunt.* Quod Catilina, quod Lentulus, quod Cethegus non potuerunt, amici inuidi opera Clodii patrauerunt. Inuidiæ vulnera sunt certissima, & mortifera. Nouerunt inuidi artes, viasque feriendi. Euadere nequit obnoxius inuidiæ. Saul anteà Dauidis amicus, eique nomine priuato, & publico addictus concepta in eum ex præclarè gestis inuidia tentauit de medio tollere. Contorsit in eum hastam ductus odio ex inuidia orto. Ita narrat Scriptura lib. 1. Reg c. 18. *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete, & declinauit Dauid à facie eius secundò.* Rapit me illud *secundò*, & rursum illud aliud *cum pariete*. Quod attinet particulam *secundo* negotium mihi facessit: nam semel tantùm iaculatus Saul hastam. Primus ille ictus erat, qui primò vitandus erat, non secundò: quomodo ergo dicit Scriptura *Declinauit Dauid secundo?* Latet quiddam dignum animaduersione. Vnus quidem, & primus iactus & ictus erat, sed quia ex inuidia præparatus multi in eo iactus, & ictus continebantur, à quibus Dauidi cauendum erat, quia non semel tantùm ab inuido Saule percutiendus erat, sed semel, & secundò. Persuasit sibi Dauid fugiendum esse bis ab vno ictu,

Génes. 37.

Plut. Cicero

Vomere laureato, triumphali aratore. A terra exculta ad frumētum ascendere debuit Dauid ad Solij ornamentum. Quid? quòd tritici summa est cum Sceptro necessitudo? 2.Reg 4. Cum pararetur Regnum Dauidi Rechab, & Baana filii Remmon Berothitæ, qui id negotii susceperant Isbosethum è medio tollere voluerunt: qui quòd erat Saulis filius obstabat Dauidi Regnum occupaturo. Igitur clam in eius domum ingressi inuenerunt Ostiariam, quæ purgabat triticum dormientem. Hîc vigilandum. Ecce in domo regia triticum: horreum, non armamentarium. Hoc erat indicium palatii. Palatinum, & Aulicum est frumentum. Percussores arrepta occasione dormientem Isbosethum aggredi conantes occasione somni meridiani, assumunt spicas tritici, & illum ferro inuadunt. *Assumentes*, inquit Scriptura, *spicas tritici percusserunt eum*. lib. 2. Reg. cap. 4. Quorsum spicas præferentes facinus patrant? Quid spicis cum trucidatione Principis? nempe causam regiam agebant, quam spicæ significabant, nam ferebant spicas tritici de domo Isbosethi Regii Iuuenis ad Domum Dauid futuri regis, cui perinde erat deferre triticum, ac deferre sceptrum. Ille qui indormiebat tritico negligebat Regnum. Somnus æternum ei somnum peperit. Regnum ad eum transiit, qui vigilabat, vt prouideret. In domo tritici, quæ ordinatur ad sustentandum populum non habitat somnus & incuria; sed vigilia, & diligentia. Parricidium, siue Regicidium supplicium iustum fuit incuriæ Principis somnolenti. Itaque Isbosethus neglectę annonæ pœnas luit. Dauid verò diligentiæ, & custodiæ frumenti præmium tulit. Præterea grana tritici concordiam, & amicitiam significant, dum in eadem spica continentur & clauduntur. Quin ipse panis Symbolum est amicitiæ, quam teste Augustino

2. Reg. 4.

panis

panis Eucharisticus propter materiam, figurabat nempe *panem qui ex multis granis in vnus coactim conficitur*. A panibus Ioseph ad solium euectus. In Bethlem domo panis natus est Christus, & ibi inuentus, & dictus à Magis *Rex Iudaeorum*. & ipse prope bouē, & inter paleas natus instar frumenti: cuius ille se granum dignatus est appellare. Post illud conuiuium ad mare Tiberiadis multiplicatis panibus inuitatus est Regno à turbis: tam coniunctum est cum regno munus distribuendi panes. In quam rem magnopere obseruandum Christum in Cruce appellatum fuisse regem, & confirmatum ei titulum iudicis auctoritate *Quod scripsi, scripsi*. Christus autem in Cruce vbi Rex erat panem repręsentabat secundum prophetam *Mittamus*, inquit, *lignum in panem eius*, vocat panem ipsum Christi Corpus, idcircò coniunctum cum Regio titulo. Quadrabat regnum in dominum, qui panem pręseferebat. Quinetiam in profanis regnum sequebatur annonam. Hoc sibi persuaserant Spurius Cassius, & Spurius Melius, & Marcus Manlius Romæ, qui Regnum affectarunt per gradus annonæ, quòd momentum Imperii in re frumentaria esse viderunt. Agraria lex plurimùm Romana in Vrbe dominabatur, & varios Reipub. status induxit pro sui varietate. Optimi quique reges agricolarum amici extiterunt, iisque vehementer fauerunt, quòd senserant regias partes esse frumentis incumbere, & abundantiam panis procurare. Illustris quidam Lusitaniæ Rex propterea *Arator* appellatus quòd aratrum diligebat, ac aratores ad colendos agros incitabat, & multis præmiis compellebat. Non absurdè igitur Cæsar Augustus vt remuneraret Virgilium, panes augebat, & immeritò taxatus est a Virgilio, quasi pistoris filius esset: nec enim indignum erat Imperatoria Maiestate panes pro merce-

Aug. tr. 26. in Ioa.

Ioan. 6.

Ioan. 19.

Hier. 11.

Donat. in eius vita.

stellis plenam. *Habebat in dextera septem stellas*, vt scilicet adorantibus monstraret se felicitatibus abundare, quas homines sponte, & auidè sequuntur, quemadmodum expertus est primùm Sylla, deinde Pompeius Romæ, qui dum felices fuerunt multos habuerunt sectatores, cum verò mutata fortuna infelices cæperunt fieri deserti sunt, præcipuè Pompeius, & in maximas calamitates deuoluti. Nec desunt in Sacris exempla, nam Dauid postquam eum persecutus est Absalon totum penè populum à se deficientem vidit. Melius tamen documentum capitur ex Petro. Positus in monte Thabor conspecta gloria transfigurati Christi, & gloriosa societate Principum Prophetarum Moysi, & Eliæ exclamauit dicens, *Bonum est nos hic esse: faciamus tria tabernacula*. Cur quæso non dixit similia in mari quando *iactabatur fluctibus*, nimirum quia aliud erat tempus tempestatis, aliud locus felicitatis. Non erat adhuc Petrus perfectus: loquebatur humano more, & imbecillitate propria alios instruebat, nempe mortales amare gloriam abundantiam, & felicitatem. Nouit hoc Deus cum iussit poni in Arca Testamenti tabulas legis, & virgam frondeam Aaronis. Cur non imperauit mitti in Arcam virgam illam Moysi qua patrauerat prodigia in terra Egypti? Nimirum, quia virga Aaronis, quæ fronduerat significabat flores bonorum, & felicitatum, virga vero illa Moysis supplicia, & calamitates. Cum igitur vellet Deus vt Tabulæ florerēt obseruātia præceptorum, applicuit eis virgam floridam, & frondeam, non autem asperam & infęcundam. Propterea in Sacro textu exprimitur, *& virga Aaron quæ fronduerat*.

2. Reg. 15. Matth. 17. Matt. 14. Heb. 9

Errant grauiter illi reges, qui terrere volunt subditos, non amare; beneuolentia capit, & trahit animos,

deponit in terra, & formato ex iis folio, fine Tribunali, imponunt Iehu super illud. *Vnusquisque*, inquit Sacer Textus, *tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, & in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, & dixerunt: regnauit Iehu.* Rem prorsus abstrusam, quæ indiget luce. Afferat eam nobis locus Euangelicus apud Matthæum, & Lucam, qui narrant triumphantis Christi habitum ingredientis Hierosolymam in die palmarum. Ibi enim salutatur Christus Rex. *Ecce Rex tuus. Benedictus qui venit Rex.* Animaduerto simile quoddam factum interuenisse. Imposuerunt quippe pro clitella vestimenta sua, *& strauerunt vestimenta in via.* Comparemus vtrumque. Vestimenta substernuntur Christo, & eadem supponuntur Iehu, vtrique regi. Igitur ea cæremonia deponendi, & subiiciendi vestes rem continet regiam. Videamus causam. Aliis aliud videbitur. Mihi placet eo ceremoniã istam spectare, vt populus expoliatus vestibus demonstret se amatorem esse Regis, quatenus se denudans imitatur amorem, qui nudus pingi solet. Itaque testatur amorem erga suum regem, quem eligit amando ad amandum, idest ut ab eodem redametur. Rex autem assumendo vestes significat à se illis indutum iri subditos suos, & in eorum vsus vestes habiturum, nempe vt eos foueat, tegat, & ornet vestibus acceptis. Vestimenta quippe tegunt, & fouent, frigus expellunt, quod est proprium ignis, & amoris: quale officium omnino à Regibus populis præstari debet, qui Ciues suos tamquam filios vestire debent, ac fouere. Necesse est igitur, ut mutuo se amore prosequantur Reges, & subditi: propterea populus exhibebat, & donabat vestes, & Rex inuicem accipiebet, & redonabat; idque in vtroque euentu, & Christi, & Iehu figurabatur. Confirmatur hæc coniectura ex contrario facto prophetæ Ahiæ, qui 3. Reg. 11.

Matt. 21 Marc. 11.

11. Scidit pallium suum nouum coram Ieroboamo, Sic enim Scriptura. *Factum est vt Ieroboam egrederetur, & inueniret eum Abias Propheta opertus pallio nouo, & scidit in duodecim partes*. Quorsum hoc? vt significaret Roboamum filium Salomonis Regno Israelis esse priuandum; quod ad Ieroboamum præsentem transferendum erat. Ratio mysterij fuit vestibus adumbrari regnum: illud pallium nouum repręsentare integrum regnum, quo potiebatur Roboamus, tùm Iudæ, tùm Israelis; quòd pallium dum scindebatur, monstrabat regnum auferri à Roboamo, nec enim vestis lacerata, & rupta apta erat ad populum regendum, vestiendum, & fouendum. Partes vero, quæ manebant transibant ad Ieroboamum, monendo ipsum, vt iis tanquam vestibus foueret, & protegeret subditos, quos accipiebat. Aliter etiam potest intelligi, vt declararet Ieroboamum deuenturum esse tyrannum, quia partes tantùm vestium accipiebat, non autem integrum pallium, quę non satis erant ad Ciues operiendos, & ornandos. Idcirco Deus cap. 6. Isaiæ ita sedebat in throno, vt vestes quę ipsum induebant replerent totum templum, in quo erat solium collocatum, vt significaret regiam protectionem ad omnes populos esse extendendam. Sic enim intelligo illa verba: *Sedebat super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant replebant Templum, vt ad totum populum operiendum, & protegendum vestes effunderentur*. Hoc exemplum imitari reges debent vtendo pallio ad suos operiendos, & fouendos, quemadmodum reperimus in Sacra Scriptura 1. Reg. cap. 28. in quo narratur Samuel apparuisse Sauli amictus pallio. Princeps fuerat Samuel, & adhuc mortuus pallium retinebat, ac erudiebat Saulem Regem se consultantem: officij Regij munus esse pallium conseruare, quod vltra cineres beneuolentia, & beneficentia

Isai. 6.

ficentia Regum in subditos tenderetur. Tyrannidis Dionysij signum fuit auferre pallium aureum Æsculapio, quo in templo erat opertus, quippe qui alios spoliat vt se vestiat, is tyrannus est. A solio postea, quod accidit Dionysio, deturbandus. Cic. de Diuin.

CORONIS

PAR AMICORVM

Scipio, & Lælius.

ELOGIVM.

Scipioni, & Lælio
Geminis ingenio indole, moribus: Prisci æui: seueris
Romæ alumnis:
Incorruptis, grauibus, castis,
Supra Censores integris,
Sine næuo.
Amicitiæ cultoribus Sanctæ, fidelis, firmæ;
Qui sic amarunt
Vti semper amaturi:
Nunquam osuri.
Præferentes sese inuicem quoad cultum;
Minimè cedentes.
Quoad amorem.
Nunquam interrupto officio: nullo expectato
Beneficio:
Nullo prætermisso obsequio.
In dispari fortuna pares: animis nunquam discordes,
Scipio belli fulmen:

Læ-

Lælius pacis lumen.
Ille Paludatus, hic Togatus: diuersis muneribus,
Iisdem virtutibus.
Terribilis hostibus Scipio: Lælius amabilis Ciuibus;
Maior natu Lælius.
Minor Scipio:
Sed maiora nactus.
Hos tamen æquauit amicitia. Obiit prius Scipio
Oppressus triumphorum mole.
Superfuit Lælius, ne totus moreretur Scipio.
Haud diù tamen superstes
Lælius
Repetente sui dimidium ab Lælio Scipione.
Præstitit Lælio Scipio
Gloria militari.
Excelluit Scipioni Lelius, quòd nomen amicitiæ
Nomen est Lęlii
Apud Ciceronem.

EPIGRAMMA.

Scipio par Lauro, par Lælius alter Oliuæ;
Ille sagi, doctus munera, & iste Togæ.

Nexus amicitiæ geminos coniunxit in vnum;
Obsequiis Patriam iuuit vterque suis.

Scipio pollebat virtute, at Lælius arte.
Ense potens primus, mente secundus erat.

Scipio plura tulit superato ex hoste trophæa;
Legibus erudiit Lælius arma suis.

Maior vter fuerit nolunt contendere, quando
Numen amicitiæ fecit vtrumque parem.

LECTIO VNDECIMA.

Ad textum Aristotelis Cap.2. Lib.8.

Οἱ δ' ἐξ ἐναντίας, κεραμεῖς πάντας τοὺς τοιούτους ἀλλήλοις φασὶν εἶναι.

Alij contrà dicunt hos tales, ideſt, Amicos Figulos inter ſe omnes eſſe.

DOCVMENTVM XI.



Nuidia Amicitiæ aduerſa. Angelorum in Cælo prauorum peccatum. Fratres Ioſephi inuidi. Ab ictu inuidi nemo euadit. Saul exemplum. Nocet *inuidia opprimens dotes, & obſcurans, vltra mortem tendit, ſepelit hominem ne luceat. Iacobi ſupplantantis Eſau, & dæmoniaci habitantis in ſepulturis apud Euangeliſtas, & draconis in Apocalypſi è cælo deturbati exempla narrantur. Quæ ſint tenebræ* conculcantes *in Dauide, quæ* poteſtas tenebrarũ *in Luca? Abiathar, & Sadoc Summi Sacerdotes ad doctrinã adhibentur. Lazarus reſuſcitatus, quem Iudæi quærebant interficere rem inuidiæ continet. Cur ſanguis Abelis de terra clamabat, & ſanguis Chriſti ſudantis in terram cadebat? Inuidus peruertit naturam. Videt vitia, & mala, non bona tenebras non lucem. Heli Pontifex Paradigma. Proprium inuidi eſt cæteros inutiles & truncos exiſtimare. Id Caci hiſtoria in Euangelio homines vti arbores ambulare videntis comprobatur.*

Sap. 2. INuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Diabolicum vitium non potuit non esse. Amicitiæ contrarium, cuius auctor Deus est: Bis inuidit Diabolus, & inuidiæ auctor fuit. Primùm in Cęlo cùm intellecto Diuinæ Incarnationis mysterio inuidit homini, & amicitiæ, quam per Dei gratiam cum ipso Deo contraxerat, renunciauit. Secundùm cum in Paradiso inspecto Dei in hominem fauore, & beneuolentia exarsit inuidia, & ipsum hominem rebellem Deo fieri procurauit. Noxium inuidia malum. Nocet amicitiæ. Si quis amico præstanti doctrinarum, & virtutum dotibus cęperit inuidere, amare desinet, & odisse incipiet. Eiusmodi traditur fuisse Aristoteles in Platonem, Crassus in Pompeium, Ruffinus in Hyeronimum. Fraterna societas inuidia rupta. Hinc cædes Abelis innocentis.
Gen. 4. Hinc Iosephi venditio, quam oportet expēdere; quòd doctrinam contineat. Amabatur hic à Patre teneriùs, tractabatur, humaniùs, ornabatur splendidiùs. Diligebat, inquit textus, Iacob Ioseph super omnes filios suos: sequitur. Fecit ei tunicam polymitam. Irritauit fratres prærogatiua. Oderant eum, nec poterant ei pacificè loqui. Extinxit amorem inuidia, excitauit odium. Quid? quòd somnia ei nocuerunt. Non debuerant fratres puero somnianti credere, imo ne extra somnium quidem loquenti. Pueritiæ dandum quidquid ille iactaret, siue in vigilia cogitatum, siue in somno fictum: hoc somniantis vanitati tribuendum. Ecquis enim somniis credat? Pilatus in re summi momenti nocturnæ visioni vxoris noluit credere dehortantis à sententia in Christum capitali ferenda, quòd animaduertit in somnis illud accepisse: quamquam illa constanter affirmare per visum multa se passam, & timore compulsam petere, ne Christus damnaretur, & somnium negaret

(Margin notes: Genes. 4. beside "tractabatur…Diligebat…"; Matth. 27. beside "sioni vxoris…Christum capitali".)

garet esse, visionem quippe appellabat. Neglexit Pilatus. Existimauit nocturnum visum pro spectro habendum, & inane reputandum, quia is non torquebatur inuidia. At vero inuida illa fratrum cohors fidem habuit somnio Iosephi, ceu foret visio, & reuelatio. Nempe inuidia, quæ animos occupauerat, è somnio diuinationem fecit, & ratum illud habuit, quòd puero machinabatur interitum. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Inuidia patria expulit Themistoclem, & Ciceronem: vtrunque seruatorem Ciuitatis. De Themistocle Plutarchus, de Cicerone ipsomet ad Atticum *Non me inimici, sed inuidi perdiderunt.* Quod Catilina, quod Lentulus, quod Cethegus non potuerunt, amici inuidi opera Clodii patrauerunt. Inuidiæ vulnera sunt certissima, & mortifera. Nouerunt inuidi artes, viasque feriendi. Euadere nequit obnoxius inuidiæ. Saul anteà Dauidis amicus, eique nomine priuato, & publico addictus concepta in eum ex præclarè gestis inuidia tentauit de medio tollere. Contorsit in eum hastam ductus odio ex inuidia orto. Ita narrat Scriptura lib. 1. Reg c. 18. *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete, & declinauit Dauid à facie eius secundò.* Rapit me illud *secundò*, & rursum illud aliud *cum pariete.* Quod attinet particulam *secundo* negotium mihi facessit: nam semel tantùm iaculatus Saul hastam. Primus ille ictus erat, qui primò vitandus erat, non secundò: quomodo ergo dicit Scriptura *Declinauit Dauid secundo?* Latet quiddam dignum animaduersione. Vnus quidem, & primus iactus & ictus erat, sed quia ex inuidia præparatus multi in eo iactus, & ictus continebantur, à quibus Dauidi cauendum erat, quia non semel tantùm ab inuido Saule percutiendus erat, sed semel, & secundò. Persuasit sibi Dauid fugiendum esse bis ab vno ictu,

Genes. 37.

Plut. Cicero

quem omnino alius, si aberraret à primo consecuturus erat. Simplex inuidia,duplex malum.Idcirco fugit secundò, præmeditata, & prouisa fuga secunda. Eandem rem continet particula *cum pariete*. Vulnus inuidi non tantum ferit personam, sed etiam locum, & dignitatem,in qua persona collocatur;nam vltra vulnus molitur infamiam eius cui inuidet. Propterea conabatur Saul inuidus Dauid cum pariete configere, quo nitebatur, cui adhærebat, vt eum mortuum deiiceret, & cum eo locus quoque deijceretur, amissa vita, & dignitate. Declaratur hoc illo textu proximè adducto Genesis 37. de Iosepho. Resumo locum *Hæc*, inquit, *causa inuidiæ,& odij fomitem ministrauit*.Expendo vocem *Fomitem*. Ea significat perpetuam ignis materiam, non igniculum, flammamue, quæ accenditur, & extinguitur; sed fomitem alimentum ignis quod semper manet, qualis est inuidia, in qua sunt omnes artes, & instrumenta nocendi. Ita Fomes vbi semel concepit ignem, nunquam deponit, seruat semper, vt multoties prodeat, & pariat incendia, & prorsus hominem cui inuidetur, extinguat. Seminarium itaque malorum inuidia est. Hunc Fomitem retinuit Marius in Metellum, Sylla in Marium, Cæsar in Pompeium, donec patriam, & libertatem vel turbarunt, vel sustulerunt. Nec mirum in ea Vrbe quæ fundata fuit super inuidia fratrum, quorum alter Remus fundamenta inuidit Romulo, alter Romulus Remo consortium imperandi.Non respicit inuidia vllum, vel consanguinitatis, vel amicitiæ vinculum. In ipso matris vtero etiam geminos tangit inuidia, & antequam sint, inuidi sunt. Iacob & Esau specimen præbeant Genesis 25. vbi sic habetur. *Collidebantur in vtero Rebeccæ paruuli*. Et rursus *Ecce gemini in vtero eius reperti sunt, qui prior egressus est ruffus erat: alter egrediens plantam fratris tenebat manu*. Ita vt exierint in lucem quasi luctatores, &

ad-

aduersarii; sequebatur enim Iacob Esau tanquam eum retrotrahere vellet, & supplantare, ac deiicere. Nam cur manu tenebat plantam? Nempe quia planta erat fundamentum corporis, qua totus nititur truncus. Conabatur ergo Iacob inuidia ductus deturbare fratrem, seque illi anteferre nondum natus, & nactus occasionem nocendi. Nec destitit donec aliis artibus eripuit primogenituram. Inuidia docuit luctam, & rapacem erudiuit manum, quæ cùm porrigenda esset ad iuuandum, detorta est ad nocendum. Luctator ingeniosus. Solent hi apprehendere colluctantis pedem, & percutere, vel extollere, & corpus inuertere, ac demum in præceps dare. Sic inuidia docuit luctari cum fratre Iacobum. Sed hic adhibuit manum, vt celerius, & firmius ageret. Alia vitia expectant tempus, vt adolescant: inuidia anteuertit tempus, & peruertit naturam. Fortè Iacob inuidus conabatur retro trahere Esau, & rursum in vtero includere, & quasi penitus sepelire; nam hoc est inuidiæ artificium, cum efficere non potest, vt obtineat famam, & locum alterius cui inuidet, auferre occasiones honoris, ac sepelire eũ, qui lucere poterat: quo nihil est molestius est, nec acerbius homini splendido, & glorioso. Hoc significauit Christus cum dixit de lucerna accensa, *non ponunt eam sub modio, sed super candelabrum*; denotans summam iniuriam fieri luci, si detracto candelabro tenebris obruatur. Petamus exemplum ab inuidis famosis, nimirum fratribus Ioseph. Cum eum vellent perdere loquebantur: *Occidamus eum, & mittamus in cisternam*: mutato autem postea consilio miserunt eum viuum in cisternam. Liceat mihi ita interpretari: existimarunt perinde esse Iosephum iactabundum, & gloriosum, & indutum veste polymita, insignem dotibus in cisternam deiicere, ac occidere; ibi enim viuus inclusus pro

Matth. 5.

Genes. 37.

interfecto habendus erat. Grauius est enim morte latere, & in tenebris versari. Confirmo rem alio loco pleno mysterii ex c. 8 Lucæ. Narrat ibi. *Occurrit vir quidam, qui habebat dæmonium, qui non manebat in domo, sed in monumentis*. Quid sibi vult hic mirabilis euentus? Diabolus claudit in sepulchro hominem, vt in sepulchro viuat, & commoretur? Videtur desipere: nam sepultura erat via ad salutem, inde enim oriebatur mortis memoria, quę salutaris est: debuisset igitur potius diabolus hominem istum è sepulchro eijcere, & expellere eò, vbi memoriam mortis non conseruaret, & voluptatibus indulgeret. Verùm astutus erat iste dęmon; significabat inuidum, quales semper sunt dæmones erga homines. Tormentum parabat isti energumeno remouendo eum à luce, & sepeliendo viuum in tenebris, ne splendesceret. Obseruandum autem hunc virum videri fuisse hominem magni momenti; capiebat enim integram legionem dæmonũ, & Sansonis similis videbatur robore, ac fortitudine. Præterea pro duobus valebat: nam Matthæus, & Marcus dicunt fuisse duos, quem Lucas narrat fuisse vnũ,
Matt. 8. ex quo deducitur eius præstantia; cum igitur insignis
Marc. 5. vir esset nulla poterat grauiori affici pęna, quàm si obrueretur tenebris, & interdicta sibi luce in tumulo delitesceret. Idcirco Arca illa testamenti quando voluit punire Dagon idolum Lib. 1. Reg. cap. 5. *Deiecit eum de loco suo. Ecce Dagon iacebat pronus in terra*; nec enim acerbiùs eum plectere poterat, quàm loco priuando suo. Idem suadet alter textus Apocalypsis, vbi
Apoc. 12. Ioannes narrat Apostatas Angelos cum dracone de Cælo deturbatos esse: addit quippe post casum. *Neque locus inuentus est eorum amplius in Cælo*. Non erat satis eos præcipitare, nisi locus quoque eorum periret? Minimè sanè, nam pro Angelis superbis, & gloriosis

grauior

grauior pæna erat priuari loco, & dignitate, quàm deiici, & in præceps dari. Itaque expressit eos amisisse & personas, & dignitates. Inferre tenebras viris virtute, & doctrina splendentibus summum iis dolorem affert. Hoc timebat Dauid cum dixit *Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Ps.118 Mirabilis timor, & mirabilius dictum, timere *conculcari à tenebris*, si tenebræ carent corpore, inanes sunt, nihil sunt, quomodo timentur, & quomodo conculcare quenquam possunt? Rectè tamen Propheta: timebat tenebras inuidorum, quæ sunt priuationes lucis, istæ verò sepeliunt hominem, & conculcant, nam qui sepeliuntur conculcantur pedibus; iure igitur metuebat, ne in has tenebras incideret, quæ lucentem, & radiantem virtutibus in obscuro sepelirent. Legimus in Exodo tenebras tam spissas, vt manibus tangi possent, Exodi 10. *Vt palpari queant*, legimus nunc in Dauide tenebras tam densas vt tangant, & percutiant, & conculcent, & sepeliant. Hæc est *potestas tenebrarum*, Luc. 22. vt appellauit Christus, quæ fraudant virtutes luce, ac splendore, caligine inuidiæ infusa. Hac oppresserunt inimici Iudæi Solem Christum in mundo radiantem, vt indicant illa verba *quòd per inuidiam tradidissent eum*. Matt. 27. Huc pertinent illæ tenebræ in morte Christi, quas Ecclesia videtur commemorare tenebris trium dierum in hebdomada Sancta, quæ significant inuidiam Iudæorum, quæ Christo machinata est passionem, & mortem. Noto illud verbum *Tradidissent*, quod refert aliud verbum trado, *trado*, & *prodo*, & nomen *traditor*, & *proditor*, quod dicitur de Iuda, qui Christum tradidit, & prodidit, ob inuidiam, & malignitatem, vt intelligamus illas tenebras Christo infusas effectum fuisse traditoris Iudæ. Vnde in quibusdam locis Reipublicæ Christianæ mos est candelas illas ardentes, quæ solent præfigi feria 4. 5. & 6. in triangulo ligneo

ante

ante Altare extinguere manu quadam fæda, & nigra; quæ *manus Iudæ* appellatur. Documento: opera Iudæ Christum Solem extinctum fuisse. Rectè Scriptura
Ps.86. coniunxit tenebras, & mortem: *in tenebris, & vmbra mortis*, perinde est enim priuare lumine gloriæ, & dignitatis, ac interficere. In hanc mentem expendo locum lib. 3. Reg. cap. 1. Abiathar Summus Sacerdos conspirauit cum Adonia, cōtra Regem Salomonem, cui regnum auferre volebant cum Ioab Principe exercitus, & ob id à Salomone priuatur Sacerdotio, & in eius locum eligitur Sadoc cap. 2. *Sacerdotem posuit Sa-*
2.3.4. & seq. *lomon Sadoc pro Abiathar*. Duo sunt ponderanda. Alterum cur Salomon non interfecit Abiathar? Alterum quis esset iste Abiathar, & ex vtraque ponderatione constat mysterium; Incipiamus ab hoc secundo. Abiathar erat vltimus, qui descendebat de Heli Summo Sacerdote, cuius meminit Scriptura 1. Reg. primis capitibus, & in eo impleta est prophetia Domini. *Videbis æmulum tuum in templo*, quod impletum fuit in Abiathar, quando priuatus fuit Sacerdotio lib. 3. Reg. cap. 2. Et in eius locum successit Sadoc, ex alia linea Sacerdotali, quæ subintrauit in locum lineæ Heli in Abiathar defuncti. Retento Abiathar constat in eo fuisse impletum supplicium a Domino prædictum *Videbis æmulum tuum in Templo*, non quia ipse visurus erat, sed eius postea Nepos Abiathar. Nunc ad primum. Hæc fuit causa Salomoni non interficiēdi Abiathar; nimirum, quia satis ei visum est priuare eum loco suæ dignitatis, & in tenebras redigere, quæ pœna æquipollebat morti, cùm præsertim Abiathar repræsentaret personam Heli, qui in Nepote puniēdus erat. Erat autem Heli inuidus, vt infra videbimus, & idcirco digna eo crimine pœna, plectendus, nulla vero pœna grauior esse potest inuido, quàm deponi loco, & vide-

re æmulum suum in eo positum, & ita impleta est diuina sententia Ljb.primo Reg.cap.2. Ad Heli *Videbis æmulum tuum in Templo,* ad supplicium inuidi hominis, qui cùm velit alios in tenebras redigere, in tenebras redigendus est, vt pæna talionis puniatur. Mansit igitur Abiathar sepultus, & habitus pro mortuo, quando priuatus fuit dignitate. Addo testimonium Euangelii ad hoc ipsum confirmandum. Transfigurato Christo in monte Thabor *apparuerunt Moyses, & Helias loquentes cum Iesu, & loquebantur de excessu, quem* Matt. *completurus erat in Hierusalem,* idest de passione eius- 17. dem. Quomodo loquuntur de passione quando gloriosus radiabat Christus? Nimirum, quia videbant lucem illam transfigurationis mutandam esse in tenebras passionis, prauidebant fore, ut ille Sol obscuraretur, & illam caliginem excessum passionis appellabant, eo nomine intellectam, quasi maior esset dolor extincti luminis, quàm illatæ mortis. Et quidem grauior est vis inuidiæ ad interficiendum, quàm sit violentia mortis. Ansam mihi dedit ita cogitandi Augustinus expendens locum Ioannis de resurrectio- Ioan. ne Lazari, ubi ait: Iudæos cogitasse de interficiendo 12. Lazaro, arguens eos de temeritate, ac imprudentia, quòd conarentur occidere eum, quem Christus à mortuis suscitauerat. *O stulta,* inquit, *cogitatio, ò cæca* Tr.50. *sæuitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non poßet occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, nunquid auferebatis Domino potestatem?* Verùm Iudæi inuidi credebant maiorem esse violentiam in inuidia ad occidendum, quàm in morte naturali. Vnde quanquam scirent Christum suscitasse Lazarum à naturali morte suspicabantur, non effecturum, vt suscitaret eum à morte per inuidiam machinata; existimabant quippe maiorem fore vim in fraudibus, & artibus in-

uidiæ ad inferendam mortem, quàm in ipsa violentia mortis. Dicebant: Sinat nos Christus artibus inuidiæ vti ad occidendum Lazarum, & nos ei relinquimus facultatem eum suscitandi; difficilius ei erit cum potestate inuidiæ quàm cum viribus mortis luctari. Stulta quidem cogitatio erat, ut ait Augustinus, sed tamen ad exprimendam malignitatem inuidiæ accommodata, Potentior est enim violentia inuidiæ interimentis, quàm mortis extinguentis. Lux mihi nunc oboritur ad penetranda illa verba Dei Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Quare clamabat de terra? quia scilicet Cain inuidus fratrem Abelē non solum interfecit, sed etiam sepeliuit, ultra mortem; hæc quippe perimit hominem, non sepelit. Vlterius tendit inuidia, perimit, & tumulat, subtus terram condens, & abscondens, ne quid appareat hominis. Quare statim additur: *super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem Fratris tui de manu tua*. Ex quo apparet à Caino inuido Abelem innocentem fuisse simul occisum, & tumulatum. Hic locus me monet alterius Lucæ 22. ubi narrat Christum sudasse sanguinem: *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*. Quæro. Cur iste sanguis Christi guttatim defluens cadebat in terram? Videlicet vt occurreret sanguini Abelis clamanti de terra. Hic erumpebat per buccas apertas in terra foras, petens vindictam, Sanguis Christi contrà per guttas quasi per buccas occurrebat petens misericordiam, & obturabat ora clamantis Abelis. Nisi forte in rem nostram ille sanguis Christi volebat suscitare Abelem mortuū ex inuidia, adeò ut peculiariter excitandus foret Abel propter specialem crudelitatem inuidiæ. Christus in Cruce suo sanguine suscitauit mortuos aliquos viuos iuxta Textum Matth. 27. *Multa corpora Sanctorum qui dor-*

dormierant surrexerunt. Inter eos non erit absurdum existimare surrexisse Abelem. Hoc assumpto animadto, alios mortuos à Christo mortuo, effuso semel in Cruce sanguine suscitatos fuisse, at verò Abelem prius sanguine sudoris in horto, & postea sanguine in Cruce effuso resuscitatum, itaut, & viuus, & mortuus sanguinem suum impenderit resurrectioni Abelis, quia hic passus fuerat mortem ab inuidiam, alii verò à natura, quasi duplicata potestate opus esset ad superandam inuidiæ violentiam.

Videntur hæc prodigia, & portenta Inuidiæ ultra vires ordinarias vitiorum; nam alia vitia communi more procedunt; & nocent; at verò inuidia extra modum, cursumque naturæ agit, & operatur. Mirabili ratione, & ultra naturam contendit; facit ea, quæ natura facere non potest, vt noceat, vt officiat. Est insignis ad probandum locus ille 1. Reg. cap. 3. vbi narratur de Heli Sacerdote, *Oculi eius caligauerunt, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur*. Hanc lectionem (scio enim aliter quoque verti) tetineo, quę vulgò in exemplaribus occurrit. Locus est difficidis; quomodo enim fieri poterat; ut Heli non posset videre lucernam accensam antequam extingueretur, & postquam extinguebatur posset. Id enim verba Scripturæ videntur innuere: *Antequam extingueretur*, quasi postquam esset extincta videri posset. Et quidem phrasis hoc sonat, uti cum dicimus non possum venire, antequam prandeam, significat post prandium posse venire. Ità *non poterat videre lucernam antequam extingueretur* significat, videre potuisse postquam erat extincta. Aliquid reconditum latet. Vidit hoc Glossa Moralis, quæ litteram obscuram interpretando exposuit mysterium, & in hac lucerna intelligenda loquendo expressit, quod Heli figurauit. Referens igitur lo- Glossa Moral.

cùm ad mores ita expoſuit. Heli ſignificabat inuidum, lucerna proximum ſplendidum, fulgentemque virtutibus, & dignum candelabro in Eccleſia Dei. Igitur Heli qui repræſentabat inuidum, videre non poterat ſplendorem virtutum, ſed tenebras, ſi quæ in eo eſſent vitiorum, & macularum. Audiamus Gloſſam: *In hoc Heli tenet figuram inuidi, qui non poteſt videre bonum proximi, qui lucet coram Deo, & hominibus per bonam famam, ſed quando Diabolo procurante extinguitur per infamiam, tunc acutè videt*. Mirabilis ſententia Gloſſæ. Ea eſt natura, & malignitas inuidi, vt peruertat obiectum viſus, quod eſt lucidum, & coloratum, non autem tenebroſum, & obſcurum, & tamen illa portento Diabolico lucem non videt, & videt tenebras. Similes erant his oculis Heli illi alii alterius Cæci Euangelici, de quo Marcus cap. 8. qui ſanatus à Chriſto, & factus videns, cum adhuc imbecilliter cerneret interrogatus *Aſpiciens, ait, video homines velut arbores ambulantes*, ideſt, video homines, vti truncos arborum: nam ſi ambulabant carebant radicibus, alioquin quomodo ambularent? Tum. Si carebant radicibus, carebant etiam frondibus, & fructibus, qui à radice procedunt. Sanè. Videbat ergo in hominibus truncos, & pro hominibus ſtipites aſpiciebat, ex natura inuidorum, quos repræſentabat, qui alios truncos, & fungos, inutiles putant, & fingunt. Inuidum agebat ille Cæcus. Itaque neceſſe fuit & à vitio corporis, & animi liberari. Quare Chriſtus. *Iterum impoſuit manus ſuper oculos eius, & cæpit videre, & reſtitutus eſt, itaut clarè videret omnia.* Depoſuit vitium oculorum, & inuidiæ: videbat anteà tenebroſa, vidit poſteà lucida, anteà aſpiciebat homines vti ſteriles, & truncos, poſteà aſpexit vti arbores frondentes, & fructum afferentes.

CORONIS
PAR AMICORVM
Marcus Tullius,& Pomp. Atticus.

Hos pares,non ſimiles amor coniunxit : documento
Etiam diſcordante natura
Stare amicitiam poſſe.
Atticus priuata contentus vita domi ſe continuit.
Marcus Tullius
Totus Reipublicæ deditus
In Curia,in Foro, in acie
Verſatus.
Atticus charus patriæ Ciuis,& intra Ciuem Filius:
Tullius vltra Ciuem
Patriæ pater, imo & mater :
Quòd Patriam ſummis
Doloribus
Parturiuit.
Extorris Atticus voluntarius conceſſit Athenas:
Tullius eò tum libens,tum exul compulſus.
Atticus ſilentio vitam egit nunquam candidatus:
Tullius ambitioſus clamores fecit,
Candidatus, & Atratus.
Atticus quietis cupidus nullas ſuſcepit inimicitias:
Tullius graues
Cum potentiſſimis Ciuibus
Simultates geſſit.
Atticus ſemper in portu tranquillo,& aſpectãs mare:
Tullius ſemper in mari procelloſo, & aſpectans
Tran-

Tranquillum Portum:
Mirum? quòd Atticus è terra nauiganti Tullio leges
Dabat; & Tullius è Mari
Postulabat, & accipiebat.
Necessarios fecit amicitia, & affinitas. Duabus quippe
Anchoris Tullius
Consistere voluit, ut in portu
Tranquillus esset.
In litteris Attici Acū nauticam inueniebat Tullius:
Qua si vteretur
Eius lingua non incurreret
In Acum Fuluiæ.
Tullius partes Pompeji secutus spe seruandæ patriæ:
Atticus neutras secutus
Spe amissa recuperandæ
Patriæ.
Tullius iacturam sui cum patria fecit: perire maluit,
Quàm seruire
Cum seruiente patria.
Atticus superesse voluit dum erat species patriæ.
Maluit pati
Necessariam, & mollem seruitutem,
Quam seruiebat Patria.
Tullius nullum prætermisit officium erga amicum
Atticum: Et omnia
Præstitit Atticus erga Tullium,
Dum fuit Tullius.
Eo mortuo desiit ab officio, contracta cum inimicis
Tullii affinitate.
Putauit sicuti vsque ad Aras,
Ita & vsque ad cineres seruandam
Fidem.

EPI-

EPIGRAMMA.

Qvos ligat vnanimes in fœdera nexus amoris
Sunt duo Romana lumina, bina Toga.

Atticus, & Cicero: discordes indole, gestis,
Moribus, officiis, conditione, gradu.

Vinxit vtrunque fides tamen inuiolabilis, ambos
Cætera dissimiles fecit amore pares.

Egit amor quod dextra solet, cùm tenditur Arcus:
Et magis astringit cornua longa manus.

Hoc magis ille ferit quò sit distantia maior.
Et quæ longa fuit spicula chorda iuuat.

Sic cum dissimiles distantia reddit amantes
A longe positis fortior exit amor.



LECTIO DVODECIMA.

Philautia Amicitiæ contraria.

Ad Textum Ariſtotelis cap. 2. lib. 8.

Τῷ δὲ φίλῳ φασὶ δεῖν βούλεσθαι τἀγαθὰ ἐκείνου ἕνεκα.

Et cap. 8. lib. 9.

δοκεῖ δὲ ὁ μὲν φαῦλος ἑαυτοῦ χάριν πάντα πράττειν.

Videtur improbus omnia ſua cauſa facere.

DOCVMENTVM XII.



Vperbia ex Philautia naſcitur. Luciferi primum peccatum. Amor ſui, ſiue Luxuria ſpiritualis. Hinc appetentia æqualitatis cum Deo ex Doctore Subtili. Superborum exempla. Ambitio inſatiabilis. Moderatio contraria. Hæc in Seraphinis Iſaiæ monſtratur: illa in ſomnio Ioſephi deſcribitur totum cęlum occupante. Quid Pes ſuperbiæ *apud Dauidem? Superbia euertit concordiam. Ventus qui angulos quatuor domus Iobi concuſſit id ſignificauit. Scala Iacob recti regiminis extra ſuperbiam argumentum. Aſcenditur in ea & deſcenditur. Datur aliis locus: & qui aſcendunt ſe demittunt. Ita Ioanuis 1. Angeli aſcendentes, & deſcendentes. Non ita 1. Reg. 28. Ab inferis ſolum aſcenditur-* Vidi Deos aſcendentes. *Scala maligna. Non deſcendentes. Ambitio deteſtanda multis ſacris, & profanis locis oſtenditur. Eius dignum ſupplicium, & contrariæ moderationis præmium pulcherrimo teſtimonio Geneſis c. 42. de Pincerna & Piſtore Pharaonis declaratur.*

Grauis

GRauis inimica constituta est amicitiæ Philautia, idest amor sui ipsius. Nequit esse amicus, qui omnia sui ipsius causa facit; vnde hic amor rationi non est congruus, quem idcirco *Cæcum* Horatius appellauit *Cæcus amor sui*, & rursum *Stultum*, & *improbum* appellauit. Diuinitùs Augustinus duas Ciuitates diuersas induxit, quas duo amores constituerunt; quarum *Terrenam amor sui vsque ad contemptum Dei*, *Cælestem Amor Dei vsque ad contemptum sui fecerunt*. Itaque amor sui, contemptum Dei secum affert, ac proindè amicitiæ, quæ virtus est. Nascitur autem hic contemptus ex complacentia sui, nam homines sui ipsius amantes sibi placent, & in hoc amore est superbia, vt idem Augustinus dixit. *Superbi appellantur sibi placentes, in amore quippe sui est superbia.* Vnde Horatius proximè adductus ait. *Amor sui, & tollens vacuum plus nimio gloriam verticem.* Proprium est enim Philautiæ gloriæ cupiditas, quæ amicum æqualem non patitur. Hinc Superbi effecti, maiores quàm pro humano habitu sese extimant, vti Alexander, qui Iouis filium se iactauit. Hinc Imperatores à Cæsare Diuorum nomen sibi asciuerunt, de quo Statius

Ode 18 l. 1. Lib. 1. Sat. 3. Lib. 4. & 15. lib. de Ciuit. Dei.

Plut.

Primus iter nostris ostendit ad æthera Diuis, Sylu. 1

Hac superbia elatus Domitianus *Dominus*, & *Deus* appellatus, idque edicto præcepit apud Martialem

Edictum Domini, Deique nostri. Mart.

Ante ipsum Caligula *Iouem* se *Latialem* dixit; & dextera fulminabat; Tridentem vti Neptunus gerebat, Lunam ad thalamum inuitabat, & cùm plueret Ioui minabatur. Heliogabalus Leononino curru triumphans Cybelem sese dicebat, & cum Tigres iungeret currui Bacchum sese appellabat, ebrio turpior, & Bromio similior, Heliocaballus verius, quàm Heliogabalus.

Rader.

Capit.

V Quin

Quin etiam barbaros reges Philautia corrupit. Sapor
Alex. ab Al. quippe Rex Persarum *Syderum se Principem, & Fratrem Solis ac Lunæ* esse iactabat. Illud mirum quod etiam Medicos homines sanos, & sanantes alios hæc pestis infecerit. Menecrates enim Iouem se appellabat, nec curationis mercedem aliam præter nomen Iouis sibi attributi ab ægrotis, pro recuperata valetudine exigebat: quem iure reprehēdit Agesilaus Rex cùm eius lit-
Plut. teris, in quibus Iouem se appellabat respōdit *Rex Lacon Menecrati sanitatem*. Huius philautiæ paradigma Lucifer extitit. Hic à Deo cōditus perfectus, circumfluēs gloria, ornatus dotibus, natura spiritus, dignitate maximus, ordine supremus, captus amore sui diuinita-
Isai. 14. tem affectauit. *Ero*, inquit, *similis Altissimo*, nec similitudine contentus voluit esse solus: *Sedebo* ait, *in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*, vtrumque latus ambiebat, vt neutrum Deo relinqueret, & cum esset Prin-
Ezech. 28. ceps ordinis Seraphici *Cherub* appellatur, *Et Tu cherub*, vt amorem excluderet, & scientiam retineret, quæ inflat, & in altum tollit, ille vero inflatus superbia de sola altitudine cogitabat. *Super astra Dei exaltabo solium*
Isa. 14. *meum*, appellabat suum, quasi proprius locus esset. Vnde hæc insolentia? nempe ex amore sui, qui fuit primū Auctore Scoto peccatū, & nos probauimus 1. To. Collat. Collat. 5. Diff. 1. in 2. Scoti d. 6. q. 2. Hic amor fons, & origo fuit superbiæ, quem idem Scotus acutè spiritualem luxuriam appellauit. Itaque Deus admittebat in trono Seraphinos, Lucifer omnes ex-
Isai. 6. cludebat. Legimus in Isaia *Deum super solium excelsum, & eleuatum: Seraphim stabant super illud*, quia Deus est vera charitas, & Seraphini veri amici. Cōmunis erat locus, & dignitas vbi erat amor. Contrà nihil volebat comune Philautia, siue amor sui. Propterea Lucifer arrogantiæ suæ iustissimas pænas dedit. Proprium est

superbi

superbi appetere omnia, optare sibi, & nihil alijs relinquere. Ambitio nunquam dixit sufficit, est instar ignis, consumit omnia, est instar vuluæ, quia cupido imperandi est similis libidini coeundi, vnde dicitur Prouerb. 30. *Os vulua*, Hoc est vitium diabolicum, velle, & dare vni omnia. *Hæc omnia tibi dabo*, dare omnia vni in Regno, in Republica malignum, & perniciosum. In hoc vanum, & nimium fuit somnium Ioseph, quia omnia illi attribuit, *Solem*, & *Lunam*, & *Stellas*, somniabat se ab omnibus adorari; integrum Cælum sibi per somnium rapiebat. Hoc irritauit fratres, quòd nihil aliis relinquebat. Hinc oritur contemptus aliorum, qui semper cum superbia coniunctus est. *Non veniat mihi pes superbiæ* canebat Dauid. Superbia habet pedem? tota est aerea, & turgida flatu volare vult, quomodo ergo pedem habet? nimirum ille pes non est ad incedendum, sed ad conculcandum; nunquam superbus extollitur sine cōtemptu & iniuria aliorum. Hoc accidit Amano, qui cum secundum à Rege esse se vidisset, elatus superbia de conculcando Mardochæo, & Hebræo populo cogitauit. Honores, quos prudentia distribuit superbus colligit, vt retineat. Notandum est discrimen inter Regem Iehu, & inter Regem Iesum; Iehu assumpsit omnia pallia, & vestimenta populi sui, & in solium conuertit. Iesus vero distribuit vestes suas per milites. *Diuiserunt sibi vestimenta mea*. Hic fuit affectus Regis amici, ille vero effectus Regis inimici. At Christus acceptauerat vestimenta, quæ turba in die Palmarum sibi contulit. Verum quidem est, acceptauit, non arripuit, & posteà restituit donando sua, ne videretur retinere aliena. Dedit in Cruce vestes, vt satisfaceret acceptis, quorum tamen possessionem non habuit, sed solùm vsum, cùm suarum possessionem militibus dedisset.

Matth. 4.

Genes. 37.

Ps. 35.

Ester cap. 3.

4. Reg. 9.

Matt. 27.

Refrenanda ambitio est exemplo duorum Seraphim, qui apud Isaiam cùm sex alas haberent contrahebant quatuor, & duas tantùm ad volandum extendebant
Isai.6. *Duabus volabant*, cum possent omnibus; alii superbi omnes expanderent, & totum aerem inuitarent, isti modeste in solio se gerebant, vt locum aliis relinquerent ad volandum. Ad honores meritis potius quàm volatu eundum. Lentè, & paulatim non festinanter,
Genes. & tumultuariè. Illi Angeli, quos vidit Iacob in sca-
28. la per gradus ascendebant. Si habebant alas, quare non volabant? vt ostenderent se non ambitiosè honores vsurpare, sed suis meritis obtinere, contra morem superborum. Qua item ratione Princeps ille Cælestis Apoc. 1. plenus dignitate, & gloriosus habebat *pedes similis aurichalco*, lentos & ponderosos, eoque significabat non volasse, nec inuolasse dignitatem more superborum, qui flatu suo tanquam typho turbant, & concitant Rempublicam ad occupandos, & vsurpandos honores, ob idque turbines, & tempestates inter Ciues excitant, & charitatem, & amicitiam dissipant, & sublata concordia statum euertunt. Idoneus est locus ad hoc probandum in cap. 1. lib. Iob. *Ventus* inquit *vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit*, &c. Hic ventus typhus erat superbiæ, ideo à regione deserti, hoc est à solitudine, quæ est contraria societati, & amicitiæ, & typhus superbiæ; superbus quippe solus, & singularis esse vult, quia putat se sibi satis esse, nullo indigere, omnia in se vno esse posita arbitratur. Hic ergo ventus concussit quatuor angulos domus, vbi confluunt lateres parietum, qui sunt vniones, & iuncturæ illorum. Quare iste ventus pulsat, & percutit angulos? Æquius erat quatere latera parietum, quæ intermediant inter angulos, vbi structura simplex est,

ac diffunditur ; quippe quòd faciliùs laberentur, & vento minus resisterent. Non igitur debuit ille typhus angulos appetere, nec pulsare, qui firmiores erant, coniunctiores, & vnitiores, quos non poterat venti vehementia commouere, cum ad eos allisus in partes frangeretur. Verum ars illa superbiæ, & astus fuit, nouerat ibi esse feriendum, vbi erat locus vnionis, & coniunctionis quales erant anguli, nam iis ruentibus tota fabrica diruenda erat, & labefactanda: quod sibi superbus proposuerat. Parietes simplices reparari facilè poterant, & domus instaurari, quæ prostratis angulis non posset reædificari.

Vorago est superbus: ingenti hiatu honores anhelat, vt deuoret. Vnum Cete deglutiuit unum hominem: isti deglutiunt omnes Balenas honorum, nec satiantur, nihil pro aliis reseruant; tanquam hydropici hauriunt dignitates, & plures desiderant; non distribuunt, non diuidunt per alios, depascuntur omnia instar ignis, qui nunquam dicit *sufficit*. Totum panem Reipublicæ pro aliis distribuendum arripiunt, & nihil aliis largiuntur, non dicunt *panem nostrum quotidianum*, sed panem meum, quia proprium faciunt, non commune. Dixit Propheta *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Ac de eo queritur: nos dicimus *paruuli petierunt panem, & non erat panis pro eis*. Maiori calamitate, nam alii abundabant panibus, carebant frangentibus; hi carent panibus, quia frangentes sibi sumunt, & omnes consumunt. Debuissent animaduertere qui gubernant, Christum Dominum in sua mensa Eucharistica dedisse, & fregisse panem, *Fregit, & dedit*, distribuendo per omnes; imo & Calicem tradidit discipulis illis verbis: *Accipite, & diuidite inter vos*, vt omnes participes fierent, nemo priuaretur. Propterea Dux ille Cælestis in Apoc. habebat in capite suo

Thren. 4.

Matt. 26.

Luc. 22.

Dia-

Apoc. 19. diademata multa, vt ea inter suos distribueret. Videmus
cap 6. enim eum alibi vna corona contentum. *Data est ei corona*, quod argumentum est alias pro aliis esse Coronas; & patet ex cap. 4. vbi seniores sedebant coronati ante tronum. *Et in capitibus eorum coronę aureę.* Superbi cupiunt ascendere, nunquam solent descendere, eleuantur, extolluntur, semper in altum nituntur, vbi semel apprehendunt dignitatem; nunquam eam dimittunt, semper in ascensu. Hoc tamen non est pro-
Genes. 28. prium Angelorum, qui ascendunt, & descendunt. Patet in Scala Iacob, & in alia Ioannis 1. quæ me monent scalæ cuiusdam tertiæ lib. 1 Reg. cap. 28. Conferamus hasce tres scalas compericmus aliquid, & iucundum, & vtile, & mirabile, pro doctrina gubernantium Respublicas, & Comunitates. In prima Scala Iacob, Angeli Dei erant *ascendentes, & descendentes per eam*. De secunda apud Ioan. cap. 1. dicitur *Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis.* Tertia Scala lib. 1. Reg. abstrusior est, nempe illa per quam vidit Mulier Pythonissa Samuelem venientem ad Saulem; ait enim *Deos vidi ascendentes de terra*, Magnum est mysterium Scalarum. In prima, & secunda, quæ erant Angelorum, ponuntur Angeli ascendentes, & descendentes. In tertia scala, quæ erat Manium ponuntur ascendentes solùm, non vero descendentes. Quare? quia nimirum illę Scalæ priores veniebant à Cælo, tertia verò ab Inferis veniebat; igitur Scala vbi ascenditur, & descenditur cælestis est hominum similium Angelis, qui angelice gubernant; ascendunt quidem ad dignitates, & rursus descendunt ad officia priuata subditorum, dando locum aliis vt etiam ascendant: at vero scala tertia quæ venit ab Inferis habet solos ascendentes, qui nunquam descendunt, & semper occupant alta, nunquam redeuntes ad ordinem sub-

subditorum: hoc non est proprium Angelorum, sed Manium, & Immanium, qui manibus suis arripiunt omnes dignitates, & retinent, semper ascendentes, nunquam descendentes, negantes aliis locum ascendendi. Præclaro documento modestiæ Angelorum, & Superbiæ inferorum. Hoc sonat illa particula *Deos vidi ascendentes.* Vnus tantùm Deus est, non Dii: superbi tamen Deos quosdam se putant esse. Oderunt quippe Deum, quemadmodum fecit Lucifer præ superbia; vnde Dauid *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Coniunxit superbiam cùm Dei odio, orto ex cupiditate ascendendi, & semper ascendendi, uti in hac scala *Vidi deos ascendentes.* Hi tamen Dii vani sunt; Idola sunt, atque adeo simulacra Dæmonum, ac proinde volunt ab aliis coli, & adorari, appetunt propriā gloriam, & basilicè incedunt, & magnificè se circumspiciunt; amant adulationes, assentationes. Talis erat Maximinus Imperator apud Capitolinum, qui osculari pedes suos Ciues, & Senatores cogebat. Sesostris Rex Ægypti Regibus in Curru pro equis vtebatur. In sacris exemplum habemus in Herode, qui cùm ad populum loqueretur plausus amabat audientis populi, vsque ad enormem adulationem; ambiebat, & ferebat illas voces populi clamantis *voces Dei, & non hominis,* Christus verbum Patris cùm esset Deus & habitu, & voce *est inuentus vt homo.* Herodes miser homo volebat audire Deus supra hominem. Deo in Euangelio Ioannis loquente tonitrua visa sunt audiri; *Tonitruum factum est.* Herode dicente eius verba tanquam oracula accipiebantur, *voces Dei & non hominis.* Superbia tantùm sibi arrogat vt super Elementa conetur ascendere. Xerxes procellosum Mare, quasi sibi rebellaret, frenare voluit, vinculis constringere, & flagellis verberari iussit, quasi seruum vellet in potestatem

Ps. 73.
Capit.
Actor. 12.
Ioan. 12.
Æ lian.

ſtatem redigere. Cyrus Gangem fluuium in trecentum ſexaginta riuos deduxit, vt eum penitus exiccaret. Alii perfoderunt montes, & terris maria commiſerunt. Magnus Pompeius tumore inflatus illud iactauit: *ſi Italiam pede pulſaret armatos milites erupturos.*
Plut. Quin & Iulianus Apoſtata telum contorſit in aera, & Cælum laceſſiuit. Gigantes terræ filii bellum ſuperis indixerunt, montes montibus impoſuerunt, vt per eos tanquam per gradus ad Cœlum peruenirent, auſu temerario, & inſano. Iam inde ab initio turris illa Babel ſuperbiæ ſignum fuit, quam homines arrogantia ſtolidi ad Cœlum vſque perducere conabantur. Verum hos flatus: hos tumores: hos ventos: hos turbines memoria cineris in quem redigendi ſunt diſſipat, & euertit. Quadrat huc illud Virgilii Diſtichon.

Georg. 4. *Hos motus animorum, atque ad certamina tanta,*
Pulueris exigui iactu compreſſa quieſcent.

Gen. 3 Hac recordatione Adamus ſuperbiæ typho inflatus detumuit *Puluis es, & in Puluerem reuerteris*. Hac voce triumphatores Romani curru ſublimes, ne ſuperbi-
Roſin rent ſalubriter monebantur. *Hominem te eſſe memento*. Illo Chriſtus vſus eſt freno ad compeſcendam impudentem Phariſæorum inſolentiam; & retundendam
Ioan. 8. in accuſanda adultera audaciam *Digito ſcribebat in terra.* Non eſt opus quærere: an, & quid Chriſtus ſcripſerit, ſatis quippe eſt credere mouiſſe puluerem, eoque moto, memoriam mortis excitaſſe. Idem fortaſſe age-
2. Reg. 1. bat homo ille veniens de Caſtris Saul *puluere conſperſus caput*. Quorſum hic Nuncius hoc habitu ad Dauidem venit, ſi nunciata ei Saulis morte futurum Regnum annunciabat? Cui inquit Dauid *oportebat dare*
2. Reg. 4. *mercedem pro nuncio*. Si ergo ille fauſta precatum veniebat Dauidi. Cur puluerem ſuper caput coniecit? Caput locus eſt coronæ, & ille Coronam nunciabat.

Tem-

Temperanda erat lætitia Dauidis de felici nuncio illo comſpectu pulueris, quem videbat in capite nuntiantis. Transferebat de capite nuncii puluerem in proprium caput, & ubi corona futura erat, ibi fore puluerem conſiderabat,& mortis memoria ingruenti cupiditati moderabatur.Eſt quippe impotens ſui ſuperbia niſi refrenetur, negligit leges, iura perturbat, vti in Cæſare, qui regnandi *gratia violandum ius eſſe iactabat*. Suet.
Homines moderati, & iuſti illa vox eſt ad Deum *In manibus tuis tempora mea*. Illam inuertit ſuperbus. In manibus meis tempora tua. Nulla quippe habita ratione temporum ambiunt ſceptra,& coronas. Adhuc Gen. in ventre matris Iacob cum Eſau ſuper Principatu lu- 25. ctabatur,& Phares diuiſa vētris maceria imperium af- Gen. fectabat. Sed hæc præpropera ambitio, & planè præ- 38. poſtera temeritatis ſuæ pœnas merito luit. Ponderemus hanc in rem duo ſomnia myſtica, quę habentur Geneſ. cap. 40. Duo Eunuchi in carcere conſtituti diuerſa ſomniarunt. Alter præpoſitus pincernarum, ita ſomnium ſuum expoſuit. *Videbam coram me vitem in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere, & Calicem Pharaonis in manu mea: tuli ergo vuas & expreſſi in Calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni*. Alterius vero,qui erat Magiſter piſtorum aliud ſomnium fuit. *Quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, quod erat excelſius portare me omnes cibos,qui fiunt arte piſtorior, aueſque comedere ex eo*. Hæc ſunt ſomnia. Nunc expendamus eorum diuerſitatem. Illud primum, erat proprium hominis moderati:ſecundum hominis ſuperbi. Patet quia in primo ſomnio gradatim proceditur, nempe à trunco vitis ad propagines, ab his ad gēmas, & flores, à floribus ad vuas, ab uuis ad vinum, à vino ad potum, omnia ſuo ordine, ſuiſque ſpatijs proce-

dunt: expectantur articuli temporum. In secundo autem somnio aliter res habet; nam citra ordinem, & moram temporis tria Canistra apparent cum panibus, & omni genere cibi artis pistoriç, itaut subito confecti, idoneique ad manducandum inueniantur. Omnia fiunt simul, nulla temporum differentia, neque seritur granum, neque metitur, neque molitur, neque coquitur, sed statim panes confecti apparent. Hoc est symbolum superbi, & honorum auidi eos occupantis, & vsurpantis. Hinc capitur documentum; ille primus moderatus, & modestus capit fructum suæ temperantiæ, & fruitur dignitate vt inquit Scriptura, *Recordabitur Pharao ministerii tui; & restituet te in gradum pristinum.* Alter vero immoderatus, & superbus, qui omnia arripiebat, & inuolabat nullo discrimine, nulla mora, nulla patientia ornamenta dignitatum, cadit loco suo, & miserime periit, vt habetur in Textu: *Auferet Pharo caput tuum, ac suspendet te*; dedit hic pænas suæ præproperæ ambitionis. Primus tulit fructum suæ modestiæ: secundus luit supplicium suæ insolentiæ, & temeritatis. Hac ratione Christus occurrit ambitioni filiorum Zebedæi petentium cathedras, tum memoria mortis obiecta, tum mentione præmii instituta. Vtrumque continent illa verba *Potestis bibere Calicem,*
Matt. 20. *quem ego bibiturus sum,* & rursum *Calicem quidem meum bibetis,* Calix symbolum erat mortis, vt inquit Hiero-
Hier. hic. nymus. Et idem Calix meritum erat. Mortis commemoratio deterrebat ab ambitione, mentio præmij inuitabat ad meritum. Certè Christus ipse, quod regnum sibi debebatur iure diuino, & naturali, meritis
Luc. 24. deputare voluit. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.*

CO-

CORONIS

PAR AMICORVM

Brutus Casſius

ELOGIVM.

Vltimi Romanorum. In his poſtquam in Pompeio
Animam egit
Spirabat, & ſperabat Reſpublica.
Felices, ſi vti ſuſtulerunt tyrannum, ſuſtuliſſent
Tyrannidem.
Fides, & amor laudandus:
Prudentia deſideranda. Vna die Heroes:
Idibus Martijs. Cæterùm
Libertatem ad Kalendas Græcas reiecerunt.
Animo virili, puerili conſilio vſi: Cæſarem
Occiderunt. Antonio
Peſtilenti Ciui pepercerunt.
Auctore tyrannidis extincto eius acta integra
Reliquerunt.
Seruire viuo noluerunt, & mortuo
Parere coacti ſunt
Cæſaris cruentarunt veſtem. Strictis pugionibus
Sanguine manantibus
Excitarunt lacrymas Ciuium
Sibi fatales.
Iiſdem pugionibus in ſua immerſis viſcera
Pænas occiſo
Cæſari dederunt.

Renouato ciuili bello Asiam commouerunt, cùm
Europam deberent,
Quæ bellax, & constans
Pompeij partes, iam non Magni secuti in Philippis
debellati:
Vidit ibi Roma aliquid Pharsalia luctuosius.
Coluerunt fidem: spem abiecerunt. Et cum de mutua
morte.
Pepigisœnt, ex compacto se occiderunt.
Nihil animo, & fide differt Marcus Brutus,
A Lucio Bruto,
Nimium prudentia, & fortuna.
Lucius tyrannum, & tyrannidem sustulit
Eiectis Tarquiniis,
Brutus vnius contentus tyranni cæde
Retinuit amicos tyranni.
Verùm excusat Marcum quod in Ciues effæminatos
Incidit,
Lucius in robustos: ille liberam nactus est patriam:
Hic seruam inuenit.
Tantum in temporibus momenti est, & moribus:
Hi corrumpunt
Consilia, & mutant fortunam.
Non poterat Roma ruere, dum stabat virtute nixa:
Non potuit stare cum oppressa vitiis
In præceps ibat.
Illud constans vbi sunt Bruti, & Cassij cineres,
Ibi Romæ spirantis libertatis
Vestigia inueniri.
Romana libertas Brutos. & Auctores, & funeratores
Habuit.
Cum Brutis nata est, & sepulta.

EPI-

EPIGRAMMA

Brutus, & Casſius.

HI duo ſunt veteris pars optima, & vltima Romæ,
Proxima quos cineri Romula terra dedit.

Caſſius, & Brutus. Magni poſt fata, iacentem
Armata patriam ſuſtinuere manu.

Spe tamen amiſſa ruit Vrbs, eademque ruina
Oppreſſos geminos compulit ire Duces.

Maius Pharſalico ſcelus heu! videre Philippi,
Cùm cecidit propria Dullor vterque manu.

Illo libertas Romana intercidit ictu,
Quæ ſpirabat adhuc, poſtea nulla fuit.

Seruitium eſt vbi Roma fuit: poſt fata duorum
Qui valeat liber viuere nullus erit.



LECTIO DECIMATERTIA; Et Vltima.

De malo solitudinis sine Amicis.

Ad Textum Aristotelis cap. 6.

μονόταις μὲν γὰρ εἶναι φίλοις ἥκιστα προσήκει.
Solitarios non conuenit amicos esse.

DOCVMENTVM XIII.



Olitudinẽ tormentum Amantium esse, & fabulæ, & historiæ profanæ & sacræ docent. Ambrosii, Augustini, Bernardi, de eo testimonia. Thesei descendentis cum Pirithoo ad inferos, & Didonis cum morte luctantis exempla penduntur. Præstat mori, quàm ab amico separari. *Saul apud Samuelem: Enoch cum Deo ambulans: Elias raptus ad cœlum: Agar domo pulsa probant. Ferendam potius mortem, quàm separationem ab amico, Orpheus, & Atticus demonstrarunt. Cur Dauid mortem Absalonis planxit, Cur Christus interfecto Baptista secessit in desertum? An filia Iephte fuerit immolata? An ei solitudo pro morte fuit, quod perinde sit separari, ac immolari? Ex Nicolao Lyra. Quare Ioannes Euangelista B. Mariæ Virg. à Christo fuerit commendatus? Quorsum Elias dixit Eliseo:* Si videris me quando tollat à te, erit tibi quod petisti? *Duplex passio Christi ex duplici tormento derelictionis à Patre, & separationis Animæ à corpore; ad id verba Euan-*

Euangelista ponderantur, & Crux Regis Hai secundum Origenem, & glossam Ordinariam in duplici patibulo ponderatur. Solitudo Beatæ Mariæ Virginis post mortem Filij summa fuisse multis argumentis ostenditur.

CVm Amicus sit alter ego, qui ab amico seiũgitur, à semetipso separatur. Hinc constat quanta sit acerbitas doloris ex amico amisso. Doctæ fabulæ rem continent, & docent, cùm inducunt Deos amicorum mortem plorantes; idque sæpe in Homero occurrit. In Iliade. Apud Virgilium Hercules deorũ fortissimus, & planè Æn.1 ferreus Pallantem moriturũ deplorat, & Diana tristatur de futura cæde Camillæ. Æn.4 Heroes quoque collacrymari morientibus amicis soliti, Achilles amisso Patroclo indoluit. Æneas mortuo Miseno illacrymatus est: Ascanius Niso & Euryalo lacrymas impendit. Alexander Ephæstionem luxit. Plut. Critic. Iuuat sacras litteras consulere. Iacob dolet de Iosephi proditione. Dauid Ionathæ Epicedium canit, Tobias cum Anna Vxore filii 1. Reg. vlt. absentiam prosequũtur lacrymis: & Vir ille sanctissimus, qui iacturam oculorum patienter tulerat, ægrè Tob.4 & 10. fert moram absentis filii. Quid? quod Sancti Patres funebres orationes in amicorum morte habuerunt, & insignes doloris significationes præbuerunt. Nazianzenus erga Basillium, Ambrosius erga Satyrum fratrem, Bernardus erga Malachiam amicum, & Gerardum fratrem. de obitu Satyri. Affero illud Ambrosii *in amico omnes vitæ suauitates, cuncta solatia, cuncta ornamenta amittuntur*. & ibi verba illa Dauidis, *potum dabis in lacrymis, in mensuram* exaggerat, & extendit *vltra mensuram*; quod dolor mensura contineri non possit. Cicero fatetur se Cic ad Brutũ. Hortensio amico amisso *opinione omnium maiorem animo cepisse dolorem*. Constat hunc intemperanter mortua Tulliolæ filiæ indoluisse, adeo vt non contẽtus solatiis

aliorum

aliorum ipse sibi consolationem composuerit. Acutissimus est dolor de amissione amici. Propterea Augustinus mortalium acutissimus veementius doluit, & altius dolorē exaggerauit. Expendamus aliqua verba lib. 3. Confess. cap. 4. vbi narrat mortem amici carissimi; *Suauis*, inquit, *mihi super omnes suauitates vita mea*. Et iterum. *Solus fletus erat dulcis mihi, & successerat amico in delicijs animi mei*; & cap. 6 *quò magis illum amabam, hoc magis mortem, quæ mihi eum abstulerat tanquam atrocissimam inimicam oderam, & timebam, & eam repente consumpturam omnes homines putabam, quia illum potuit*. Et rursum. *Mirabar cæteros mortales viuere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram mortuus erat, & me magis, quia ille alter eram viuere illo mortuo mirabar*. Insuper *ideo mihi horror erat vita, quia nolebam dimidius viuere, & ideo fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram*.

Augus.

Mirari desino. Cur Theseus Pirithoum comitari ad inferos voluit, vnde reuocare gradum, ac redire non poterat? Verùm, quòd nouerat si eò amicus concederet solitarium se esse mansurum, ac præ dolore moriturum maluit eum comitari, ac illi commori, quàm solus desiderio contabescere. Ad Manes ergo lubens abiit, quòd perinde duxit manere, atque ad Manes abire. Imò grauiùs erat separari ab amico, quam cum amico perire. Non satis fuit Iacob lugere filium suum Ioseph amissum, quinetiam desiderauit mori, & mortuū comitari, idque eius filij affirmarunt: *Morietur*, inquit, *& deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos*, Multò magis luctatur anima in recessu amici, quàm in suo à corpore discessu. Arctius quippe adhæret amico; quàm corpori. Illa Dido apud Virgilium lib. 4. documento sit. Incubuerat gladio, lethale sibi vulnus inflixerat, mori cupiebat, & aditum ad mortem

Gen. 37.

Gen. 44.

tem satis amplum in pectore aperuerat, quo magnæ animæ exitum daret: eò vergebat intentione mentis, contentione coropris: sudabat, spumabat, gemebat, suspirabat, nec tamen emittere spiritum poterat. Necesse fuit Iunonem è superis miserescere, & Irim demittere, vt reciso fatali capillo animam auelleret, & anhelantem iuuaret ad efflandam penitus animam, iàm gutturi adhærentem.

Quæ luctantem animam, nexosque resolueret artus
Donec concepto Proserpine voto,& reddito crine.
Dilapsus calor, atque in uentos vita recessit. Æn.4.

Causā inquirenti illud occurrit: multas alias feminas apud eundem poetam præter difficultatem interijsse: Caietam, Camillam, Amatam, & hanc Reginam, & strangulatam. Quare sola Dido tanto molimine defuncta? Nempe quia moriebatur ex amici desiderio amici Æneæ recedentis: inde difficultas,& cruciatus. Non erat mors de more humano, sed de amore inhumano. Acerbius vulnus erat,& violētius. Mors nō erat debitum naturæ, sed delictū amoris; erat separatio ab amico absente, nō à corpore præsente. Propterea cruciatus grauior, luctatio pertinacior, obitus difficilior.

Præstat mori, quàm separari. Id sibi persuasit Saul li. 1. Reg. c. 28. Prædixerat ei Samuel cladem exercitus, & propriam mortem. Cur tamen propterea Saul non abstinuit à prælio, vt mortē vitaret? Quia nimirū Propheta dixerat *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* Præposuit itaque societatem amicitiæ Samuelis,& filiorum, quibus cum commoriendum erat, propriç vitæ. Maluit cum illis perire, quàm superesse, quòd grauior futura erat ipsamet morte separatio. Vox illa *Mecum* omnem,& timorem,& męrorem penitus absterſit. Modò simus, inquit, post mortem coniuncti, non recuso mori. Notat S. Ambrosius orat. in obitu Satyri Ambr.

1.Reg. 28.

Fratris neminem fleuisse in discessu Enoch cùm transtulit illum Deus. Iustum sanè videbatur condolere homini de repente sublato ex oculis, erepto è consortio viuentium, quemadmodum, in descessu Amicorum siue morientium, siue recedentium fieri solet. Quomodo ergo *Raptum Enoch*, inquit Ambrosius, *Nemo defleuit?* Causa significatur eo in textu Sacræ Scripturæ. Genes. 5. ubi sic habetur. *Et ambulauit Enoch cum Deo*. Non recessit solus: comitem habuit ipsum Deum ambulantem, & amicè, vt assolet inter familiares, colloquentem; separatio illa non erat, sed translatio, mutata societate non sublata. Propterea non erat lugendus Enoch: imò ei ab omnibus gratulandum. O quam diuersus ab Elia! Hoc recedente, & in Cælum abeunte doluit vehementer Eliseus 4. Reg. 2. *Apprehendit vestimenta sua, & scidit in duas partes.* Quod erat signum maximi doloris, quia nemo apparuit qui comitaretur Eliam. Erat *quidem Currus igneus, &c.* Qui ignes? qui vtrumque & Magistrum, & discipulum separarunt. *Diuiserunt vtrunque*. Fuit separatio ab Amico, non autem vlla cum alio amico coniunctio. Eliseo dolendum cum præsertim ille aspectus igneus, & strepitus concitati currus, animos terreret, & conturbaret. Ita vt ille in cælum raptus quiddam simile incendio propter ignium copiā contineret, & cruciatus quandam speciem præseferret: qualem amici in Amicum separatione experiuntur. Nullum excogitari potest atrocius tormentum, quàm auulsio à notis, & charis, & familiaritas intercisa; est quippe similis morti. Patet exemplo Sacræ Sripturæ. Irata in Agarem Ancillam Sara, cum eam semel eiecisset domo Gen. 16. iterum cùm de illa iustiùs, & grauiùs vlcisci se vellet domo expelli curauit. *Eiice ancillam*; Mirum quiddam hoc est, mulierem vindictæ, vti ferme sunt

4. Reg. 2.

Genes. 21.

omnes

omnes, auidam eo contentam fuisse supplicio. At vidit Sara acerbis esse nullum posse, grauius illud morte putauit, & probauit euentus; nam Agar vix dum eiecta cum Ismaele filio, semel ac priuatam se domestica consuetudine, & ad solitudinem redactam sensit, doloris impotens, spe abiecta, consternata est, & morti deuota filium deseruit siti enectum, adeò vt non viderit vicinum puteum præ desperatione, & ipsa siti, ac pædore moritura, seque & filium præficarum more defleuit. Nihil inter exilium, & separationem ab amicis, & domesticis interesse duxit, ac nisi Angelus adstitisset, & recreasset, planè cum filio periisset.

Haud obscurum huiusce doloris paradigma extitit Orpheus, qui amissam Eurydicem ad Inferos persecutus maluit illis se cruciatibus addicere, quàm ea carere, & solitarius vitam trahere. Solatium citharæ sibi relictum inane sensit, ac eius fidibus fidicularum tormentum expertus eam secum ad Inferos duxit, & sono Manes exiuit, ac exicitis cantu lugubri significauit, quid ipse mali pateretur. Contristasse visus est vmbras. Impetrauit reditum, certus manere inter manes nisi reduxisset, leuiores ducēs inferorum pœnas, quàm mœrorem ex absentia Eurydicis conceptum; & quamquam per incogitantiam voti compos non fuerit, documento fuit, nihil grauius sibi accidere potuisse, quàm amicæ familiaris desiderium. Narrant quippe eum deinceps vitam gemendo traxisse, nocte dieque Eurydices amissæ nomen ingeminantem; donec contabuit, & in furorem versus à Bacchantibus fuit extinctus, ac demum ad Elysios campos deductus desiderium canendo leniuit.

Virg. 4 Georg.

Æn 6.

Est aliquid in historiis accommodatum. De Attico singulari Ciceronis amico; traditur Cicerone mortuo, quem vnicè dilexerat luctui perpetuo se deuouis-

se, quod eius se consuetudine priuatum sensit, quem in delicijs habebat,& quamquam posteà Augusti amicitiam comparasset, & affinitatem cum Agrippa, à quo multa solatia in dies accipiebat, desiderio victus deploratiùs agebat, & suam anxius vicem dolori indulgens minime quiescebat, prefertim amissa spe Reipublicę, quam florente Cicerone felicem viderat. Tandem morti se deuouit, & genus illud mortis elegit, quo amicitiæ pretium significaret. Inedia se conficiens, quò doceret perinde esse carere amico, ac cibo ad vsum vitæ necessario: ali quippe animum amicitia, vt alitur corpus cibo: hoc subtracto petire corpus, illo amisso vitã finiri corporis morbo animi ęgritudini simili. Amici absentia est inedia animi, qua conficitur dum abstinere cogitur ab amici consuetudine, qua vti cibo reficiebatur.

Antepofuit Regno Dauid societatem Rebellis filii, doluit mori eum, qui sibi regnum eripere parabat,
2. Reg. 18. ingemiscens *Absalon fili mi, fili mi Absalon* impotens desiderii, quod ferre non poterat, cum posset dura fugæ mala, dura belli tolerare. Maius momentum est in ponderatione sequenti. Occidit Herodes Ioannem Baptistam, quem Christus *Amicum Sponsi* appellauit,
Matth. 4. idest ipsiusmet Christi; vbi hoc Christus accepit continuò secessit in desertum locum, & addit Euangelista
Marc. 6 *seorsum*, hoc est, in interiorem Solitudinem. Docuit Christus absente amico, in solitudinem redigi amicum alterum, & talem solitudinem, vt ex desiderio duplicetur. Significauit item, quàm sibi charus esset Baptista, vt propter eius mortem recedendum sibi esse ab hominum consuetudine existimaret. Aliter etiam
Ioan. 14. intelligi potest locus. Ioannes Baptista interfectus fuerat causa veritatis. *Veritas est* Christus. *Ego sum veritas.* igitur propter Christum occisus. Quid tum? voluit

Y Chri-

Christus respondere in amore Baptistæ, & par pari reddere eundo in solitudinem, quasi solitudo speciem quamdam mortis haberet, vt eo genere doloris Baptistæ mortem quodāmodo compensaret. Tu, inquit, pro me mortem subijsti, ego pro te in solitudinem recedo, quæ mors quædam ciuilis est. Haud temerè dico: Pati solitudinem est ferre mortem. Hoc me docet insignis locus lib. Iud. cap. 11. Victor Iephte reuertens in domum suam inuenit filiam vnigenitam sibi de victoria gratulantem, rem miram, & miserandam. Vouerat quippe ante victoriam, oblaturum se esse Domino, quicumq; primum sibi occurrisset. itaque tenebatur voto filiam Sacrificare. *Qua visa scidit vestimenta sua*, quòd vidisset immolandam a se esse filiam. Omitto quæstiones, quæ hoc in loco excitantur ab interpretibus, nimirum, vtrum illud votum fuerit iustum, an iniustum? implendum ne, an negligendum? de quo doctè, & fusè Abulensis. Sumo id quod rem continet. Immolauit ne filiam Pater? Abulensis affirmat, & textus videtur indicare, illis verbis ad finem capitis *Reuersa est ad Patrem suum, & fecit ei sicut vouerat*, quæ significant immolatam fuisse, secundum votum à Patre nuncupatum. Verùm Nicolaus de Lyra negat fuisse immolatam; quod ne nouum, & insolens videatur sic exponit. Filiam Iephte fuisse redactam in solitudinem, & consecratam Deo, solitariam remansisse, & hanc solitudinem, & pro morte fuisse, & ita votum impletum, non de morte naturali, sed de morte ciuili *Potest dici*, inquit Lyra, *quòd filia Iephte non fuit sacrificata Domino per mortem corporalem, sed potius per ciuilem, seu spiritualem, eo modo quo religiosi dicuntur mundo mortui, in quantum à mundanis actibus sunt segregati*; & idem fusius eo loco prosequitur: vnde constat solitudinem summam esse acerbitatem;

Abul. hic.

Iud. c. 11.

Lyra hic.

& pro morte reputati. Hinc lux oboritur ad alium locum de Ioanne Euangelista illustrandum, vt ille succedat Baptistę proxime adducto Quare Christus Dominus in Cruce Ioannem matri suę commendauit? *Mulier ecce filius tuus* tradens ei Ioannem in filium? nimirum, vt Ioanni compensaret officium pietatis sibi exhibitum in morte sua noluit, vt solitarius remaneret, nam in eo statu relictus pro mortuo putaretur. Quandoquidem, inquit, tu Ioannes mihi assistis morienti, volo te à solitudine tanquam à morte liberare, assigno tibi matrem, in cuius societate viuas, ne in solitudine moriare. Intolerabilis quippe est dolor desiderii ex absente amico. Eius discedentis aspectus mors est; vltra mortem est. Adeste qui legitis. 4. Reg. cap. 2 abituro in superos Elia, & homines relicturo, sensit discipulus familiaris Eliseus, quid moliretur: nec se passus est ab Elia dum in terris erat auelli. Comitatus igitur magistrum transmisso Iordane, venit simul ad locum, vnde Elias recessurus, & ascensurus erat. Hortantique Eliæ, vt aliquid extrema illa recessus hora peteret *Postula quod vis tibi faciam*. Eliseus fidenter respondit. *Obsecro ut fiat in me spiritus tuus duplex*; Idest vt duplicaretur in se simplex spiritus Eliæ. Sic enim accipio, & sic sonat responsio Eliæ *rem difficilem postulasti*. Notemus hic responsum Magistri absentis. *Si videris me quando tollar à te erit tibi sicut vis, si autem non videris non erit*. Quorsum ista conditio. Si videris? & quomodo cōnectitur cum effectu petitionis? Responsio in promptu est. Sciebat Elias propheta, qui corda nouerat, quantus esset dolor conceptus ex discessu chari amici, eoque præuidebat ita turbatum, & cruciatum iri discipulum, vt vix compos sui præ dolore esse posset. Quare iudicauit non habituram effectum petitionem, quod ille non valeret conditionem imple-

Ioan. 19.

4. Reg. 2.

re,

re, ac proinde iustam fore causam denegandi quod petierat. Quod si forte accideret, vt Eliseus tantum haberet fortitudinis, vt posset ferre illum dolorem, & firmis oculis videre amicum discedentem, omnino iudicandum esse dignum, qui postulata obtineret. Satis enim meriti fore in eo, si tantum cruciatum toleraret. Tanti erat absentem amicum, & ad se recedentem videre, vt nouum, & inauditum martyrium pati Eliseus videretur. Supra mortales iturus erat Elias & vltra mortem passurus erat Eliseus desertus, & afflictus. Duplici anima ad ferendum desiderium indigebat. Iure itaque *Fiat*, inquit, *mihi spiritus tuus duplex, vt præmium meritò responderet*. Rectè igitur illi Anachoretæ, qui in deserto solitariam agebant vitam pro mortuis reputari poterant, qualis Paulus, Antonius, Hilarion, Honuphrius, Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, qui potius cęlesti more viuebant, quàm mortali, interdum sine victu, sine veste, sine vllo tecto, cum Angelis, quasi extra mundum conuersantes, solitaria quippe vita mors est potius dicenda, quàm vita.

Liceat hic aliquid afferre altius, & diuinius. Antequam pateretur Christus Dominus, ac Seruator noster, iam iam discessurus suos consolari volens de sua absentia contristandos, Corpus suum, & Sanguinem præbuit, ne perirent desiderio. Propterea fortasse dixit. *Desiderio desideraui*, vt fontem dolendi ostenderet. *Luc. 22.*
Hoc eis prouiso necessario remedio, quod solatium vocauit Doctor Angelicus, & quoddam singulare amuletum doloris futurum: nec enim vitam conseruare possent nisi eo cibo alerentur, in quo erat præsens Seruator ipse recessurus. Tantus erat illius tristitiæ morbus, vt tanta medicina indigeret; nec enim alia ægritudo interueniebat, cui remedium præstandum esset,

esset, nisi mæstitia de absentia Saluatoris. Opus erat igitur de sua contristatis absentia præsentiam sui Corporis relinquere. Hoc idem genus tristitiæ ipsemet
Matt. 25. Christus expertus est cum dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, quæ mæstitia de discessu extremo erat. Idque confirmat ille modus loquendi apud Lu-
Luc. 22. cam: *Auulsus est ab eis*, vtitur verbo violento *Auelli*, ceù a suis quos, amabat separandus. Similis arboris, quæ radicitus auellitur. Ista cum auellitur gemit, & ille gemebat, cùm separabatur ex tristitia, & mærore, *Cœ-*
Matt. 26. *pit contristari, & mæstus esse* Quin ipsemet Dominus testatus est dolorem solitudinis se pati in Cruce cum di-
Isa. 63. xit: *Torcular calcaui solus, & degentibus non est vir mecum*. Quasi solitudinem illam in tormentis numeraret.

Maius tamen mysterium reperio in alio loco ad pro bandum solitudinem aliam mortem esse. Obseruo Christum priusquam moreretur clamasse *Consumma-*
Ioan. 19. *tum est*. Quomodo, & quorsum? Passio Christi consummata fuit in morte, ac per mortem, non ante. Igitur expectanda mors erat ad consummationem. Non ergo debuit dici ante mortem *Consummatum est*. Animaduerte, quæso, lector, antecedentia. Inuenies Christum prius exclamasse, & quidem voce magna. *Deus*
Matt. 27. *meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* Dolens se à Patre amantissimo, & amicissimo fuisse desertum, atque adeo solum derelictum. Hîc est virtus mysterii, quæ rem exaggerat, & difficultatem tollit. Perinde erat derelinqui à Patre amantissimo, ac mori; ac proinde passionem consummari. Liceat ita dicere. Anticipauit mortem illa separatio, & aliud mortis genus inuexit, quia vim mortis habuit illa derelictio, quæ ante discessum animæ à corpore amicum ab amico separabat. Nec temerè dictum. Hoc enim significauit illa

vox

vox magna, de qua Matthæus *Clamauit Iesus voce magna dicens, Eli Eli lamasabactani, hoc est, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Vt eadem quodammodo vox clamantis esset, qua testatus est se derelictum, de qua Euangelista dixit *expirasse*. De qua item scripsit Marcus cap. 15. *Iesus autem emissa voce magna expirauit.* Non expressit *vocem magnam* Marcus, nec Ioannes: cum enim narrasset de voce *Consummatum est*, subticuit illam extremam vocem *In manus tuas commendo Spiritum meum*: quam expressit Lucas, & subiungit Ioannes voci *Consummatum est: inclinato capite tradidit spiritum*: ad innuendum eandem vocem *Consummatum est*, vtranque vocem, & derelicti, & morientis continuisse. Hanc vnam posuit, duas reliquas subticuit, quòd satis erat dicere consummari Passionem tormento derelictionis, vt constaret per mortem mox secuturam *consummari*. Trahenda huc est, & piè applicanda illa celebris Senecæ sententia. *Qui sunt*, inquit, *in solitudine mortem suam antecesserunt*. Moriuntur antequam moriantur, eorum mors mortem aliam sequitur. Dupliciter moriuntur dolore solitudinis, & violentia mortis.

Confirmatur hic sensus mirabili illo loco Iosue 8. secundum interpretationem Origenis, & glossæ Ordinariæ, ubi enim scriptura ponit *Regẽ vrbis Hai suspendit in patibulo* Origenes & Glossa dicunt *suspendit eum in duplici patibulo*. Mira nouitas. Quomodo enim hoc fieri potuit? nam in duabus Crucibus vnum corpus non potest affigi, nec suspendi. Cape igitur mysticè: duo patibula erant, idest duę passiones, siue duæ mortes, vna ex desiderio, & solitudine propter dolorem, altera ex separatione animę à corpore per mortis violentiam. Figurauit Rex ille Hai Christum Dominum Cruci fixum in duplici patibulo, siue in duplici Cruce.

Vna Crux erat derelictionis, & solitudinis: altera Crux erat separationis animæ à corpore, & solue difficultatem, & mysterium agnosce.

Hoc tormentum solitudinis maximum fuit in Beata Virgine Maria in illo triduo post Christi mortem, cuius propterea Commemoratio in Ecclesiis Hispaniæ fieri solet: in qua primis ponderandum locum habere illud Hieremiæ. *Quomodo sedet sola?* & comparandum aliud *Quomodo* Lucæ 1. *Quomodo fiet istud?* Opponendo vnum alteri; Quomodo fiet in mysterio Incarnationis, alteri quomodo sedet in mysterio Passionis? nam in Incarnatione Virgo sensit summum bonum coniunctionis cum Deo, quando fuit facta Mater Dei, & audiuit *Dominus tecum*. In mysterio autem Passionis sensit dolorem summum, quando mortuo Christo separata est à filio, vnde appellata fuit *Mulier*,
Ioan. 19. non Mater, quia illo triduo cum Christus compositus ex anima, & corpore per mortem non extaret, vti erat homo, nec etiam eius Mater constare poterat, cùm filius non superesset, cuius Mater esse posset; hæc autẽ fuit maxima solitudo sine filio esse, & ad solitudinem mulieris redigi. Præterea fuit solitudo animæ, quia anima Beatæ Virginis per amorem transijt in Christi corpus, quando latus eius fuit vulneratum, vt nimirum exciperet, & animaret illud vulnus, quod Christi anima, quæ separata erat à corpore animare non poterat, nec dolorem sentire, quem Beata Virgo sensit pro filio, vti ponderant Pij Contemplatores
Serm. de Pass. cum Bernardo, idque prophetauit Simeon cum dixit: *Tuam ipsius animã pertrãsiuit gladius*, id est ferrum, quod Christi latus transuerberauit, itaque anima Virginis
Luc. 2. suppleuit dolorem Christi mortui. Accessit alius dolor in illa solitudine, significatus illis verbis eiusdem Simeonis: *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*; videlicet

delicet quia omnes dubitationes illorum, qui dubitabant de futura resurrectione Christi, Sanctissima Virgo in se suscepit, vt eos in fide confirmaret, est enim proprium solitudinis multa, & tristia cogitare. Præterea quando Christi Corpus mortuum collocatum fuit in gremio, & in brachijs eiusdē Virginis noua solitudo apparuit, facta est enim Virgo veluti sepulchrū filij, sentiens tamen, & dolens, non vti sepulchrum lapideum, & insensibile; & quidem tunc fuit ipsamet Virgo vera solitudo, quia sepulcra in scriptura *solitudines* appellantur, uti apud Iob, *Qui ædificant sibi solitudines*, hac ratione Beata Virgo solitudinem sibi ædificauit, cùm se viuam sepulturam filij constituit. Ædificauit olim Deus mulierem ex corpore Adami, nunc verò ædificauit corpus mulieris in sepulturam corporis Christi. Tandem sepulto in monumento Christo mansit Beata Virgo in domo sua solitaria indulgens lacrymis in tenebris, & vmbra mortis, vt mortua magis videretur, quàm viua. Hæc sint satis pro solitudine Virginis argumenta.

Cap. 3.

Gen. 2.

FINIS.

CORONIS
PAR AMICORVM
Virgilius Horatius.

ELOGIVM.

Et vos diuerſos genio, diſcordes indole;
Diſpares moribus:
Alterum caſtum, alterum obſcænum,
Alterum lippum, alterum crudum,
Alterum Platonicum, alterum Epicureum
Arctum amicitiæ vinculum
Copulauit.
Tanti fuit harmonia Poetica, vt quamuis
Et in hac diſcreparent,
Ex imparibus verſuum generibus
Parem animorum concentum
Effecerit.
Virgilius Tuba ſonorus: Horatius Lyra argutus.
Ille Homero
Par:
Hic Pyndaro ſimilis:
Virgilius maieſtate heroica plenus:
Horatius Lyrica venuſtate
Aptus.
Nihil detraxit Virgilio cruditas ſtomachi ad
Concoctam grauitatem carminis,
Nihil lippitudo oculorum Horatio
Ad acutam perſpicaciam.

Vir-

Virgilius Parthenius,& ſobrius, placuit Muſis ſobriis,
Et puris.
Placuiſſe Horatium laſciuum, & ebrium
Mirandum.
Virgilius heroica tuba contentus, parma ſpreta,
Palmam tulit.
Horatius vltra lyram, parmam inſeruit.
Sed ea non bene relicta refugit
Ad Lyram.
Diuerſis ſtudijs eoſdem conciliarunt amicos;
Et quidem Principes.
Orpheus traxit truncos, Amphion lapides:
Virgilius, & Horatius Auguſtos, & Męcenates.
Vterq; Athenas vidit,quæ admiratæ utrumq; ſiluere.
Mirum
Quòd duo Itali Athenas magis Atticas reddidere.
Prærogatiua Virgilii,quòd Theocritum in Bucolicis:
Heſiodum
In Georgicis:
Homerum in ſua Æneide expreſſit;
Et Iliada, & Odyſſeam
In vno, & eodem poemate
Concluſit.
Horatij,quòd Pyndaricis modis permulſit aures,
Et ſatyricis verbis
Correxit mores.
Ambo ſe mutuò dilexerunt. Ardentius
amauit Horatius
Qui Virgilium animæ dimidium ſuæ
Appellauit:
Et rectè docuit in amicitia maius, & melius
Eſſe dimidium
Quàm totum.

EPI-

EPIGRAMMA.

Vos quoque vinxit amor, numeris qui verba ligastis,
Vestris se fidibus iunxit amica fides.

Chordarum pulsus concordia corda sequuntur:
Certus amicitiæ constat vtrinque sonus.

Nec tuba grandiloquo resonans clangore Maronis
Turbauit Flacci fila minuta lyræ.

Iuncta venustati maiestas consonat: ambæ
Conciliant grata fœdera fida vice.

Carmine Virgilio concedit Flaccus, amore
Non cedit: species maior amantis inest.

Cùm se Virgilij sit fassus amore teneri,
Dimidiumque animæ dixerit esse suæ.



AN-

Reuocatio Lectoris.

Post elogium Bruti, & Cassij, rogatus à quibusdam studiosis, vt disertiùs causam exponerem, cur primus Brutus Tyrannum, & tyrannidem extinxerit, secus vltimus Brutus? hoc Epigramma composui.

Brutus vterque ferox exegit ab Vrbe Tyrannos;
Non tamen eripuit Brutus vterque iugum.

Libera facta fuit primo sub vindice Roma,
Libertas alio vindice nulla fuit.

Incidit in Romam, cum libera, Lucius Vrbem;
Cum procul à vitijs, impatiensque iugi.

Mersam delicijs incurrit Marcus in Vrbem,
Cum fuerat vitij, seruitijque capax.

Si culpare velit quisquam te hoc nomine Brute,
Hoc tu responso dilue Marce notam.

Cæsare cur cæso permansit in Vrbe Tyrannis?
Serua Vrbis vitium, non mea culpa fuit.

AN-

ANTILOQVIVM.

SVbiectam versionem dudum apud me pressam, & sepositamretinueram, expectans si qua se offerret ocasio euulgandi. Resciuit hoc Illustrissima Domina Elena Lucretia Cornara Piscopia nobilissima virgo, ac eruditissima; Phęnix ingeniosa, Veneta Siren, Pallas Togata, nostri æui litteratum miraculum, ac vti pietatis, & elegantiæ studiosa indagatrix, venata demum est opus, & excitata studio legendi petiit à me exemplum, quod cum auidè legisset, multis me rogauit, vt vellem huic libello inserere ad pios Fidelium sensus excitandos: confirmauitque sibi mirè placere, & non parũ eius lectione affici ad cælestis amoris igniculos, & concipiendos, & nutriendos. Habet apud me istius virginis nutus, pondus Imperii: propter eximias, quibus est prædita, & pietatis, & doctrinæ dotes. Quas admirari soleo, cum calleat linguas septem, & septẽ artium liberalium peritia excellat, & sacrarum litterarũ, Theologiæq; notitia, veluti extra orbem scientiarum emineat, atque adeo ei optanti, & hortanti non potui, non morẽ gerere. Tenes causam edendi hoc opusculum, de quo ego illud Augustini mei dictum vsurpem lib. 2. Retract. c. 6. *Excitat humanum intellectum, & affectum, & quod me attinet hoc in me egit cum scriberetur, & agit cum legitur. Quid de illo sentiant alij, ipsi viderint, multis tamen fratribus illud multũ placuiße, & placere scio.* Atque, vt non essent alii, satis mihi esset pręstantis pietate, & doctrina virginis iudicium, & commendatio, quę quãtum sit miraculum nouit Respublica literaria, quæ illamsummis laudibus celebrat. Adeo vt ipsæ Academiæ insignes, eam sibi vel absentem cooptarint. sperandumque sit, vt hæc noua, & inclyta Romæ ab Augustissima Regina Suetiæ instituta eandem officiosè inuitet, vt eius luminibus illustretur.

LA-

LAMENTATIONES HIEREMIÆ ELEGIS REDDITÆ

Feria V. in Cœna Domini.

LAMENTATIO I.

ALEPH.

QVomodo sedet sola Ciuitas plena populo, facta est quasi Vidua Domina Gentium; Princeps Prouinciarum facta est sub Tributo.

VERSIO.

QVomodo sola sedet Solymæa Vrbs instar Eremi?
Cum Populi plenis ferueat vnda vijs.

Illa Caput mundi gentes dominata per omnes
Ceu Vidua in sola fletque, gemitque domo.

Quæque dabat leges Regnis, & Regibus, illa
Cogitur accepto ferre tributa iugo.

BETH.

Plorans plorauit in nocte: Et lacrymæ eius in maxillis eius; non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius: omnes Amici eius spreuerunt eam, & facta sunt ei inimici.

VERSIO.

FLeuit, & in tenebris nimium testata dolorem est,
Indulsit lacrymis cùm sine teste suis.

Nec plorasse satis; cupit & plorasse videri:
Exstat adhuc madidis pendula gutta genis.

Illius ex charis flenti nemo assidet, illam
Attoniti in tantis deseruere malis.

Si quis amicus erat, post vulnera versus in hostem est:
Spernitur, inque alto puluere spreta iacet.

GHIMEL.

Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis: Habitauit inter gentes; Nec inuenit requiem; omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.

VERSIO.

Ille etiam Regni decus, & caput Vrbis Iudas,
Cogitur externos exul adire lares.
Maluit ignotis seruitum gentibus ire,
Ferrea quàm Patriæ vincula ferre suæ.
Nec tamen ille iugum excussit, mutauit; ibique
Nulla quies: aucto pondere creuit onus.
Arripiens tempus positam premit hostis in arcto,
Impellitque graui dum ruit illa manu.

DALETH.

Viæ Sion lugent, eo quòd non sunt qui veniant ad solemnitatem: Omnes portę eius destructæ: Sacerdotes eius gementes: Virgines eius squallidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

VERSIO.

Quin etiam tectis suus est dolor: ipsa Sionis
Saxa gemunt; lacrymis immaduere viæ.
Causa subest, quòd festa vacant solennia pompa:
Quòd nulli tangant limina sacra pedes.
Destructis Vrbs tota patet malè peruia portis,
Polluat vt sacros turba profana locos.
Mœsta Sacerdotum flent agmina: veste puellæ
Virgineum maculant sordidiore decus.
Ipsa Sion tanti sub pondere victa doloris,
Corruit, & casu pene sepulta suo est.

HE.

Facti sunt hostes eius in capite. Inimici eius locu-
pletati sunt, quia Dominus locutus est su-
per eam ptopter multitudinem iniqui-
tatum eius; paruuli eius ducti sunt
in captiuitatem ante faciem
Tribulantis.

VERSIO.

IN caput incumbens hostis dominatur in Arce:
Direptaque graues possidet Vrbis opes.

Scilicet infensus quibus est obnoxia culpis
Increpat ex alto crimina multa Deus.

Turba insons trahitur puerorum vincta catenis:
Vix capiunt teneras ferrea vincla manus.

Hos agit à tergo ferus hostis, & vrget euntes;
Semita purpureo tincta colore rubet.

Hierusalem, Hierusalem Conuertere ad Dominum Deum tuum.

Hierusalem Vrbs, ò Hierusalem ne sperne vocantem:
Conuerte ad Dominum lumina, corque tuum.

LAMENTATIO II.

VAV.

Et egressus est à filia Sion omnis decor eius: facti sunt Principes eius velut arietes non inuenientes Pascua: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

VERSIO.

Amisit speciem pulcherrima nata Sionis,
Nullaque natiui signa decoris habet.
Principibus stupor altus inest: gregis instar aberrant,
Pascua quem solito destituere cibo.
Imbelles vicere illos sine viribus; hostes
Victos ceu timidas ponè sequuntur oues.

ZAIN.

Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cùm caderet populus in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius.

VERSIO.

Hierusalem memorat quos pertulit antè dolores,
Cùm miseros duxit mæsta, gemensque dies,
Et recolit mendax quàm spes optata fefellit,
Quæ blandita animo finxerat antè suo!
Cùm caderet populus crudeli oppressus ab hoste,
Nec foret optatam qui sibi ferret opem.
Inspexere oculis illam indignantibus hostes
Ridentes legis Sabbata Sancta suæ.

HETH.

Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis
facta est: Omnes qui glorificauerunt eam spre-
uerunt illam, quia viderunt ignominiam
eius: ipsa autem gemens conuersa
est retrorsum.

VERSIO.

Hierusalem peccatum ingens peccauit, & vllo,
Propterea haud potuit sistere firma loco.
Respexere illam quibus ante fuisset honori,
Turpem ignominiæ cum reperere notis.
Ipsa gemens, pertæsa sui, conuersa retrorsum est:
Attonita nimius sustulit ora pudor.

IHET.

Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui:
deposita est vehementer non habens consolato-
rem: Vide Domine afflictionem meam,
quoniam erectus est inimicus.
Hierusalem Hierusalem, &c.

VERSIO.

Fœda lues corpus vexauit, & obruit artus:
Sordibus hærentes obstupuere pedes.
Nec finis memor illa sui: vehementer ad ima
Præcipitat: tanti est nulla medela mali.
Aspice quanta Deus me pœna afflixerit! hostis
Fit tumidus, nostris erigiturque malis.

LA-

LAMENTATIO III.

IOD.

Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius : quia vidit gentes ingreſſas Sanctuarium ſuum, de quibus præceperas ne intrarent in Eccleſiam tuam.

VERSIO.

Quæque olli fuerant pretioſa, optandaque votis
Cuncta hoſtes auida præripuere manu.
Viderat heu! gentes templi penetraſſe profanas,
Intima, & arcanos contemeraſſe locos.
Gentes, quas olim vetuiſti lege ſeuera
Limina polluto tangere prima pede.

CAPH.

Omnes populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam: Vide Domine, & conſidera, quoniam facta ſum vilis.

VERSIO.

Illius eſt nemo populi quin ingemat. Errat,
Atque omni panem quæritat arte ſuum.
Et quæcunque ſibi fuerant pretioſa dederunt
Prò iuſto, miſeris ſit vigor vnde cibo.
In me verte oculos Domine ò, perpende cadentis
Exitium: iaceam quomodo vilis ego!

LA-

LAMECH.

O vos omnes qui transitis per viam attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me, vt locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

VERSIO.

Vos precor ò quicumque via transitis ad vrbem
Mærorem attenta pendite mente meum.
Dicite num similis dolor extitit vllus? an vlli
Par vmquam fuerit plaga relata mea?
Abstulit heu! nostros domini vindemia fructus,
Ne mea post maneant funera reliquiæ.
Hac, memini, fuerat dominus mihi fata minatus
Cum grauis irati forma furentis erat!

MEM.

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me expandit rete pedibus meis: conuertit me retrorsum: posuit me desolatam tota die mærore confectam.

VERSIO.

Misit in ossa suas mea celsus ab æthere flammas,
Essent iustitiæ quæ documenta meæ.
Seque mihi opponens obiecit retia plantis,
Desertaque retro compulit ire via.
Implicitam laqueis, desolatamque reliquit,
Lugentem casus nocte, dieque meos.

NVN,

NVN.

Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manu eius conuolutę sunt, & impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere. Hierusalem &c.

VERSIO.

Formauere iugum vigilans mihi crimina, moles
Vrget, & in pęnas excubat illa meas.

Nempe Dei glomerata manu voluuntur in orbes,
Implicita, & collo vincula facta meo.

Infirmata iacet mea magna, & cognita virtus,
In duras Dominus fecit abire manus.

Ha me pręcipitem post vulnera tanta dederunt.
Surgendi à casu spes mihi nulla subest.

Feria sexta in Parasceue.

LAMENTATIO IV.

HETH.

Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum: & non auertit manum suam à perditione: luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.

VERSIO.

Vertere constituit Dominus natę alta Sionis
Mœnia: funiculum cepit & inde suum,

Mensura vt penitus muri foret æqua ruina.
Nullaque labentis pars superesse queat.

Noluit à capto impulsu desistere: donec
A fundamentis machina tota ruit.

Conscia venturi muri pars prævia casus
Luxit: & in lacrymas tota soluta cadit.

Vt cecidit: murum par impetus impulit: ambo
Vt pariter steterant, sic cecidere simul.

TETH.

Defixæ sunt in terra portæ eius. perdidit & contriuit vectes eius: Regem eius & Principes eius in gentibus: non est lex: & Prophetæ eius non inuenerunt visionem à Domino.

VERSIO.

INfixit terra casus violentia portas,
Contriti vectes, ruptaque claustra labant.
Disperfit Regem, Proceresque in gentibus: Ara
Euersa est: periit lex, periere sacra.
Quin ventura ipsos solitos prædicere vates
Visa reuelantis destituere Dei.

IOD.

Sederunt in terra: conticuerunt Senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt cilicijs: abiecerunt in terram capita sua Virgines Hierusalem.

VERSIO.

SEderunt in terra humiles quos nata Sionis
Extulerat, tristes & tacuere senes.
Vidimus hirsutis inductos corpora saccis
In canos cineres composuisse suos.
Virgineæ in terram capita abiecere puellæ
Ceu teneri flores imbre grauante caput.

CAPH.

Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt
viscera mea: effusum est in terra iecur meum
super contritione filiæ populi mei.
cùm deficeret paruulus & lactens,
in plateis oppidi.

VERSIO.

Defecere oculi plorando, auulsa natarunt
Lumina: ceu medio naufraga facta mari.
Conturbata dolent mea viscera: rupta patescunt;
Allisere solo cum crepuere, iecur.
Sic affecit eam nata pia cura gementis:
Ilicet, huic tanti causa doloris erat.
Viderat heu! teneros velli sibi ab vbere natos;
Et passim pressos morte iacere vijs.

LAMENTATIO V.

LAMED.

Matribus suis dixerunt: vbi est triticum, & vinum?
cùm deficerent quasi vulnerati in plateis
Ciuitatis: cùm exhalarent animas suas
in sinu matrum suarum.

VERSIO.

Quisque puer stimulante fame clamare coactus
Panis vbi est Mater, sunt vbi vina mihi?
Nempe inter matrumque manus, ac vbera cogit
Exhalare animas hinc sitis, inde fames.
Defecere omnes post vulnera multa relicti:
Stabant in medijs corpora strata vijs.

MEM.

M E M.

Cui comparabo te; vel cui assimilabo te filia Hierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te Virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?

V E R S I O.

Cui conferre queam Solyma te ò Filia? cuius
Aut pœnis pœnas assimilare tuas?
Quis tantas ò nata Sion est passa dolores?
Nulla aliena tibi pœna leuamen erit.
Crescit in immensum mœror tuus, & maris instar
Funditur: in reliquos flumina parua fluunt.
Quis poterit tantos pœnarum auertere fluctus?
Quis plagis medicas his adhibere manus?

N V N.

Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, & eiectiones.

V E R S I O.

Viderunt portenta tui mendacia Vates,
Mendacesque oculis imposuere tuis.
Te tua adulantes celabant crimina: quando
Debuerant lacrymas elicuisse tuas.
Hostibus eiectis, summum te ad culmen ituram
Cantabant; mendax fabula vtrumque fuit.

SAMECH.

Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Hierusalem: Hæccine est Vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ! Hierusalem, &c.

VERSIO.

Qvicunque hanc triuere viam risere iacentem;
Testantur plausa gaudia falsa manus.
Nec satis: irrisor tibi sibilat ore petulco,
Quassat & hostili subdolus arte caput.
Haccine formosa est Vrbs illa! hac Orbis amores?
Ad crepitum digiti, more iocantis, ait.

LAMENTATIO VI.

ALEPH.

Ego Vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.

VERSIO.

Pauper ego, doctusque pati mala pauperis, urget
Hoc opus irrati ferrea Virga Dei.

ALEPH.

Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

VERSIO.

Ille instar me duxit ouis: cluasitque tenebris,
Nec potui infusa nocte videre diem.

ALEPH.

ALEPH.

Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam tota die.

VERSIO.

In me iram vertitque grauem, dextramque rubentem
Conuertit: sensit fulmina missa caput.

BETH.

Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam: contriuit ossa mea.

VERSIO.

Feruida ab igne caro, cutis arida, tostaque pellis
Ossa minuta suis dissiluere locis.

BETH.

Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.

VERSIO.

Constituit duro cinctum me includere vallo:
Fel fuit hinc septum, murus & inde labor.

BETH.

In tenebris collocauit me, quasi mortuos sempiternos.

VERSIO.

Immersam tenebris oppressit mole sepulcri
Vnde resurgendi spes mihi nulla foret.

GHIMEL.

Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum.

VER-

VERSIO.

Ne furet effugium septis me inclusit iniquis,
Addita compedibus sunt noua vincla meis.

GHIMEL.

Sed & cum clamauero, & rogauero, exclusit orationem meam.

VERSIO.

Id grauius, quòd me clamantem, & multa rogantem
Reppulit, & surda respuit aure preces.

GHIMEL.

Conclusit vias meas lapidibus quadris: semitas meas subuertit.
Hierusalem, &c.

VERSIO.

Iamque omnis praclusa mihi via marmore secto est.
Heu! misero nullum semita signat iter.

Sabbato Sancto.

LAMENTATIO VII.

HETH.

Misericordię Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius.

VERSIO.

Hisce malis tamen est pietas laudanda Tonantis,
Reliquias passus quòd superesse mei est.
Non adeò miseros procul aspicit ille: propinquat
Cladibus, enumerat nostra vulnera pius.

HETH.

HETH.

Noui diluculo: multa est fides tua.

VERSIO.

Noui equidem prima cùm luce Aurora ruberet;
Magna Sion misera spes tibi, magna fides.

HETH.

Pars mea dominus dixit anima mea: propterea expectabo eum.

VERSIO.

Vox anima fuit illa mea: expectare salutem
Me liceat: fiet pars mea quippe Deus.

TETH.

Bonus est Dominus sperantibus in eum; animæ quærenti illum.

VERSIO.

Praestat opem Dominus de se sperantibus: ipsi
Suspiranti anima semper adesse solet.

TETH.

Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

VERSIO.

Qui tacet expectans cœlestia dona salutis,
In se sensa Dei corde loquentis habet.

TETH.

Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.

VERSIO.

Vtile erit præcepta Dei seruare volenti
A teneris Domini sustinuisse iugum.

IOD.

Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se.

VERSIO.

Secum habitans, solus viuet, tacitusque sedebit,
Seque super scandens it, propiorque Deo.

IOD.

Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.

VERSIO.

Corruet in terram, vultumque in puluere ponet:
Fortasse attollet spe meliore caput.

IOD.

Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrijs. Hierusalem, &c.

VERSIO.

Percutienti aliam maxillam exponet, eritque
Obrutus heu! plagis, & satur opprobrijs.

LAMENTATIO VIII.

ALEPH.

Quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum.

VERSIO.

QVomodo luce caret rutilum, quod fulserat aurum?
Immoriturque genis viuidus ille color?

Vincta prius dispersa iacent sacra marmora Templi,
Quæ diuulsa suis ingemuere locis.

Stare in principijs platearum erecta videbis,
Et monstrare Vrbis, tristia signa, vias.

BETH.

Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli?

VERSIO.

INclyta progenies, soboles generosa Sionis,
Aurea quos vestis picta tegebat acu.

Quomodo nunc vili reuoluti in puluere sordent?
Ceu despecta luti testea vasa forent.

Quos figulus currente rota confinxerat, idem
Fecerat vt, facili fregit & illa manu.

GHIMEL.

Sed & lamiæ nudauerunt mammam: lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.

VERSIO.

QVin lamiæ pulchro simulantes ore puellas
Vbera per passos exposuere sinus.

Decepere omnes, & fraude hausere cruorem,
Lactantes catulos sanguinis imbre suos.

Exin sæua Sion seu struthio sæuit eremo:
Decipit heu! natos dilaceratque suos.

DALETH.

Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

VERSIO.

LActentis siccis lingua arida faucibus hæret:
Lacte necat matrum deficiente sitis.

Confectique fame panem petiere puelli:
Sed propè qui posset frangere nullus erat.

Scilicet, aut cæsos mors sustulit atra parentes,
Aut fuga ad externos compulit ire lares.

HE.

HE.

Qui vescebantur voluptuosè interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora.

VERSIO.

Fercula quos, lautæque dapes, & larga iuuabant
Pocula deliciæ destituere suæ.
Soli, inopes, nummis vacui, victuque carentes
Consumpti medijs interiere vijs.
Quos crocus, & byssus, murex, aurumque tegebat,
Pannosi immundos incoluere locos.

VAV.

Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento, & non ceperunt in ea manus. Hierusalem, &c.

VERSIO.

Commisit grauius, quàm Sodoma nata Sionis
Crimen, & infandum vicit iniqua scelus.
Momento perijt, subitosque exarsit in ignes
Illa: diu, & varijs interit ista modis.
Illam non gladius, non dextera perdidit hosti;
Hac nullæ hostiles abstinuere manus.

ORATIO HIEREMIÆ Prophetæ.

Recordare Domine quid acciderit nobis: intuere,& respice opprobrium nostrum.

Flecte oculos Domine: & nostri reminiscere casus:
Aspice nos, quanto simus in opprobrio.

Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos,

Iura, & opes nostras alienus possidet hæres:
Occupat & nostras gens peregrina domos.

Pupilli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ.

Nos vti pupillos mors fecit acerba parentum:
Sunt vacuis matres ceu viduæ in domibus.

Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparauimus.

Ipsa in potum emitur nostris de fontibus vnda:
Nostraque dant nobis vendita ligna focum.

Cer

Ceruicibus noſtris minabamur : laſſis non dabamur requies.

Plura minabamur collo iam pondera onuſto :
Quippe nouum laſſos excipiebat onus.

Ægypto dedimus manum, & Aſſyriis, vt ſaturaremur pane.

Ægypti, Aſſyrię iuga ſumpſimus aſpera gentis :
Pelleret vt panis copia parua famem.

Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt : & nos iniquitates eorum portauimus.

Peccauere Patres noſtri : mors abſtulit illos :
Nos illis patimur debita ſupplicia.

Serui dominati ſunt noſtri; non fuit qui redimeret de manu eorum.

Noſtra iugo infami ſeruorum colla grauantur,
Nec libertatis ſpeſue, moduſue manet.

In animabus noſtris afferebamus panem nobis : à facie gladii in deſerto.

Heu ! proprio nobis conſtabat ſanguine panis :
Deſertis gladÿ ſaua rapina locis.

Pellis

Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.

Clibanus vt, pellis sic ossibus hæret adusta:
Ignea tempestas ceu foret illa fames.

Mulieres in Sion humiliauerunt, & Virgines in ciuitatibus Iuda.

Strata Sione iacet muliebris turba: per Vrbes
Iuda Virginei procubuere chori.

Hierusalem, Hierusalem conuertere ad Dominum Deum tuum.

Hierusalem, Vrbs ò Hierusalem, ne sperne vocantem!
Conuerte ad Dominum lumina, corque tuum.



Et

Et hanc versionem debet pius Lector Illustrissimo & Reuerendissimo D. Abbati, & Archipresbytero Aloysio Gradenigo Bibliophylaci S. Marci Viro Eruditissimo, & ornatissimo, qui Isocratis, & Demosthenis profanam eloquentiam, & Nazianzeni, & Chrysostomi sacram facundiam omnigenę doctrinæ studiis excultam in Latium inuexit, ac proptereà dignus apparuit, qui eiusdem Illustrissimæ Helenæ Heroinæ sapientissimæ Præceptor eligeretur.

Psalmus 50. Dauidis Pœnitentialium potissimus ad Elegiam redactus.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Ergo mei miserere Deus, miserere gementis:
Affer opem magna qua pietate soles.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Et quoniam multus parcendo, & multus amando es:
Ex animo dele crimina multa meo.

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Sordida sanguineo mea crimina fonte lauato,
Et cum sępe laues amplius inde laua.
Nec lauisse satis, maculas absterge relictas,
Et superesse vllas ne patiare notas.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & pec-
catum meum contra me eſt ſemper.

Plene ego cognoui mea crimina: ſemper oberrant
Ante oculos, ſtatuunt me memorata reum.

Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci, vt iu-
ſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas
cum iudicaris.

Peccaui tibi ſoli, & coram te mala feci,
Auſus ego ſum oculos contemerare tuos.

Et quoniam ſunt qui tecum contendere certant
Iudicio, & facti quærere iura tui:

Parce pius; iuſtuſque feri: tua iura tuere,
Victor Iudiciis vt videare tuis.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in
peccatis concepit me mater mea.

Ecce ego primauę contactus origine culpæ,
Quem tulit infecto mater iniqua ſinu.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta, & occulta
ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

At veri tu Numen amans mihi noſſe dediſti
Quæ ſunt theſauris abdita ſenſa tuis.

Aſperges

Aſperges me Hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Hyſſopo aſperſum me munda, iterumque lauabis,
Vt videar ſupra candidus ire niues.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.

Auribus inde meis cæleſtia gaudia, & oſſa
Exilient putri ſemiſepulta ſitu.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

A culpis auerte meis tua lumina mitis,
Atque animæ dele crimina cuncta meæ.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Cor mundum Deus alme crea: rectusque nouetur
A te viſceribus ſpiritus ille meis.

Ne proijcias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuumne auferas a me.

A facie me, quæſo, tua ne proijce: mecum
Deſinat ah! nunquam ſpiritus eſſe tuus.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Redde precor spectata tui mihi gaudia Christi,
Flamine constituar Principe firmus ego.

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.

Doctus ego veniam de te sperare dolendo
Erudiam reliquos crimina flere sua.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Eripe sanguineæ rabidis me motibus iræ:
Ne me præcipitem cogat in arma furor.

Eripe me rursum lasciui è fomitis æstu,
Quo calet incenso sanguine dira lues.

Tunc tibi iusta canam gemini pro munere Doni
Carmina, iustitiæ ductus amore tuæ.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Os aperi tu Christe meum: tu labra reclude:
Decantet laudes vt mea lingua tuas.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.

Nam si cæsa quidem tibi victima nostra placeret.
Ante aras caderet victima multa tuas.

Sacra tibi, quorum superest pars magna, placebunt:
Nam tibi, quę pereunt, non holocausta placent.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.

Spiritus omnigena vexatus ſorte laborum,
Afflictuſque malis hoſtia digna Deo eſt.

Cor tu humile, afflictumque nimis, preſſumque dolorè
Haud equidem temnes, deſpicieſque Deus.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieruſalem.

Perge tuum fundare Sion, animoque volenti
Ædifica Solymæ mænia Sancta tua.

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta, tunc imponet ſuper altare tuum vitulos.

Iuſtitiæ demùm tibi Victima macta placebit;
Admittes aris tunc Holocauſta tuis.

Sanguine virgineo vitulorum altare rubebit:
Allicient oculos candida liba tuos.

ANIMADVERSIO.



Ihil a me frequentiùs, & vehementiùs postulatum, quàm vt Indicem librorum meorum texerē, quod nemo hactenus, & si nonnulli tentarint, accuratè præstitit. A quo ego tamen semper abstinui, quod nomen Indicis horreo, assuetus libros à capite ad calcem perpetuos legere, & solitus improbare eos, qui Indices, & Elenchos, Concordantias & id genus opera inuestigarunt. Verum, quòd nuper Illustrissimus Dominus Antonius Magliabecchus Serenissimi Magni Ducis Hetruriæ Bibliophylax vir litteratissimus, & mihi omni officiorum genere coniunctissimus, cui omnes authorum fibræ, ac medullæ notæ sunt, quibus ille se totum legendo insinuat, & omnium sensa colligit,& in numerato habet, adeò vt ipse ex iis viuat, & rursum ipsi in eo viuant, & quocunque se ferat bibliothecas circunferat memoria sua felici,& prodigiosa animatas; id a me repetitis litteris petierit,non potui non efficere, quod flagitarat. Itaque quod alii potentibus imperiis extorquere non potuerunt, ille mollibus precibus, tanta est mea in eum beneuolentia, impetrauit.

ELEN-

ELENCHVS
LIBRORVM
PATRIS FRANCISCI
à S. Augustino Macedo in lucem editorum.

Notato tempore, designato loco.

QVos in Societate scripsit, descripsit Pater Philippus Alegambe eiusdem Societatis, qui Madriti P. Macedum nouit in Regia illa, tum primùm instituta, Academia docentem, in sua Bibliotheca, his verbis.

Franciscus de Macedo natione Lusitanus, patria Conimbricensis in Societatem venit annum agens XIV. ętatis, in ea Rhetoricam complures annos, Philosophiam vno, Chronologiã aliquot subinde docuit: vir planè eruditus, & in pangendis Carminibus felicissimus, ac venæ vberrimæ. Edidit.

Theses Rhetoricas omni eruditione refertas, quas Madridii publicè proposuit his titulis.

Thesaurus eruditionis pro Sole Zodiacum percurrente.

Parnassi nemus Poeticis arboribus consitum.

Viridarium eloquentiæ Rhetoricis floribus distinctum.

Scripsit

Scripsit prætereà:

Apotheosim S. Francisci Xauerij Lyrico carmine lib. 3.

Apotheosim S. Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ lib. 1. Lyricorum.

Epitomen Chronologiæ ab Orbe condito ad Christum natum.

Artem Poeticam iusto volumine.

Elegias 7. in mortem P. Francisci de Mendoza, quæ extant in Mausoleo eidem Patri erecto ad calcem Viridarij ipsius.

Hispanicè vero scripsit, atque edidit.

Vitam Domini D. Ludouici de Ataide Pro regis Indiæ Madridii.

Reliqua quæ edidit recensere poterunt ij ad quos transiuit. Hactenus Philippus.

Hæc tu mi lector sic ordinabis.

Apotheosim S. Francisci Xauerij Epico Carmine Olisipone ann. 1621.

Apotheosim S. Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ Epico Carmine Conimbricæ anno 1624.

Theses Rhetoricas proximè nominatas in vnum volumen coniectas Madriti ann. 1628.

Epitomen Chronologiæ ab Orbe condito ad Christum natum ann. 1634.

Artem Poeticam iusto volumine. Hæc non vidit lucem.

Elegias 7. Has in libris non numero: Typis mandatæ sunt Lugduni ann. 1626.

Vi-

Vitam Domini. D. Ludouici de Ataide lingua Hispanica in q. Madriti ann. 1633.

Historiam recentium Martyrum Iaponensium eadem lingua in q. Madriti ann. 1632.

Hæc in Societate.

In Ordine Sancti Francisci.

Apologeticus pro Lusitania vindicata. Parisiis anno 1641. in q.

Ius succedendi in Regnum Lusitaniæ cum Historia Lusitaniæ liberatæ, & Schemate genealogico competitorum de Regno Lusitaniæ. Parisiis eodem ann. 1642. in f.

Elogia Gallorum Aquis Sextiis eodem anno 1641. in q.

Descriptio villlæ Iuquii, & Sanctę Baumes, idest, speluncæ S. Magdalenæ. Aquis Sextiis eodem anno 1641. versibus in oct.

Panegyricus Vrbano Octauo: Apes Barberinæ, Lyra Barberina, Roma vetus, & noua Carmine heroico in vnum volumen coniecta. Romæ anno 1642. in quarto.

Honor vindicatus. Rupellæ ann. 1642. in octauo.

Philippica Portughesa Hispanicè. Olisipone 1643. in f.

Propugnaculum Lusitano Gallicum. Parisijs anno 1646. in f.

Laurus Harcourtica. Parisiis. Ann. 1647. in q.

Cortina Augustini. Parisiis anno 1648. in q.

Tessera Pontificia pro dignitate, & authoritate Papę. Londini ann. 1652. in q.

Controuersia Ecclesiastica inter fratres Minores Londini ann. 1653. in Oct.

Lituus Lusitanicus contra tubam Anglicanam. Londini ann. 1652. in q.

Mens diuinitus inspirata Pontifici Innocentio Decimo super quinque propositiones Iansenii. Londini 1654. in q.

Scrinium Augustini. Londini anno 1634. in quarto.

Domus Sadica, idest, familia nobilium Lusitanorum cum eorum gestis descripta. Londini anno 1654. in f.

Rosæ Alexandrinæ, idest electio Pontificis Alexandri VII. cum Panegyrico, & poematis omnis generis. Romæ anno 1655. in q.

Pallas Togata, idest Regina Sueciæ ad Fidem conuersa. Romæ anno 1656. in q.

Encyclopædia. Romæ anno 1657. in f.

Vita S. Ioannis de Matha, & Felicis de Valois fundatorum ordinis Redemptorum Sanctissimæ Trinitatis. Romæ ann. 2950. in oct.

De Clauibus Petri. Romæ ann. 1660. in f.

Archigymnasii Romanæ Sapientiæ descriptio. Romæ 1661. in oct.

Theatrum Meteorologicum. Romæ anno 1661. in oct.

Diatriba de Aduentu S. Iacobi in Hispaniam. Romę ann. 1662. in q.

Controuersiæ selectæ. Romæ ann. 1663. in duodecimo.

Scholæ Theologicæ positiuæ. Romæ anno 1664. in f.

Assertor Romanus, siue Vindiciæ Romani Pontificis,

tificis, & Pontificatus Romæ ann. 1666. in f.

Vita Theresiæ, & Sanciç Reginarum Lusitanarum. Romæ ann. 1667. in oct.

Concentus Euchologicus Venetiis 1668. in folio.

Vita S. Turibii Archiepiscopi Limani. Venetiis anno 1668. in q.

Pictura Veneta. Venetiis ann. 1669. in q.

Collationes Sancti Thomæ, & Scoti ad 1. sentent. Patauii ann. 1675. in f.

Collationes S. Thomæ & Scoti alter Tomus ad 2. sentent. Patauii in f.

Azymus Eucharisticus. Veronæ ann. 1673. in octauo.

Disquisitio Ecclesiastica super Azymo Eucharistico Veronæ ann. 1673. in q.

Commentationes duæ Polemicæ pro S. Augustino. Veronæ 1674. in q.

Responsio ad Notas Critici. Veronæ anno 1654. in quarto.

Mirothecium ex documentis moralibus. ann. 1675. Patauii in q.

Libri qui perierunt.

Historia expeditionis Brasilicæ ad Bahiam recuperandam. Ann. 1625. in q.

Liber de generibus, & differentiis styli, tum Rhetorici, tum Poetici, tum Historici, tum Epistolaris. Conimbricæ anno 1626. in oct.

Vita pii Viri Dominici Ioannis Laici Iesuitæ, tum Latinè, tum Lusitanicè in oct.

Scientia Rhetorica, Madriti scripta. In f. casu amissa.

Scientia Poetica opus accuratissimum. Madriti in f. Æmulorum fraude interuersa.

Bella Hispanorum cum Gallis lingua Hispanica. Madriti in q.

Inuenietur apud Ducem de Villahermosa.

Descriptio Poetica Heroico Carmine Palatii Madritensis rusticani. Reperietur in Bibliotheca Comitis de Oliuares 3. millia versuum Epicorum.

Aduersaria collecta ex omnibus operibus S. Augustinii. Ingens tomus. Hunc Guardianus mei Ordinis, quòd erat interpunctus, & ex chartis solutis malè compositus, putans esse aliquod opus inutile, combussit, magno meo dolore, & aliqua, opinor, doctrinæ Augustinianæ iactura.

Vita S. Rosæ Limensis Dominicanæ, quę prima omnium scripta fuit, seruatur ad Mineruæ. Romæ, in quarto.

Libri confecti, & in lucem edendi.

Historia de bello Lusitanico, dudum ex quo fui in Angliam missus interrupta: cuius libri duo, ad ideam Titi Liuii, sunt confecti: & meam adhuc expectat perfectricem manum.

Liber de Conciliis vniuersalibus, & particularibus. In f.

Liber Apologeticus contra Caronem, & Valsium Romanæ Ecclesie adversarios. In q.

Calamitas erudita in q.

Diatriba de opinione probabili in q.

Lucerna Macedi, in oct.

Dissertatio de Validitate Matrimonii Ethnicorum,

rum ; præsertim Tunchinensium Barbarorum. In quarto.

Traductio Ludouici Camonii Principis Poetarum Lusitaniæ in Latinam linguam Heroico item Carmine, opus magni laboris, & accurationis. In q.

Continet Myriadem fermè versuum totidem Poetæ versibus respondentium.

Subdit prælo tertium tomum Collationum in 3. Sent. S.Thom. & Scot.

Habet præ manibus librum inscriptum: Prosper rediuiuus contra Narratorem.

Vrget alium: cuius titulus est Accipiter, siue Sparrauerius Rafrerii plumis vestitus, deplumatus, & vigintiquinque errorum conuictus.

Erit qui velit nosse opera vaga, & solitaria. Hæc quòd sunt plurima ægrè numerari possunt, & ægriùs inueniri. Verùm obiter attingam. Panegyricos dixi quinquaginta tres. Orationes Latinas habui sexaginta. Laudationes, siue funebres orationes, triginta duas. Poemata Epica recitaui publicè quadraginta octo. Elegias composui centum viginti tres. Epitaphia centum quindecim. Epistolas dedicatorias ducentas duodecim. Familiares septingẽtas. Poemata Epica iusta bis mille sexcenta. Elegias quingentas. Odas centum decem. Epigrammata, & id genus alia plusquam tria millia. Comœdias Latinas quatuor. Tragœdias duas. Satyram vnam Hispanicè. Carmina, quantum recolendo præterita consequi possum, omnis generis, quæ scripsi, ac ex tempore fudi, ea opinor centum, & quinquaginta myriades posse conficere.

Tandem animaduerto de multis me quæstionibus fuisse consultum, quarum aliæ ad alias doctrinas spectabant, quędam propriè ad praxim tum Moralis

Theo-

Theologiæ, tum iuris Canonici, tum Ciuilis pertinebant, & in numerum venire possunt, quæ sancti officii Qualificatoribus, inter quos Romæ fui, proponi solent. Earum responsa, quæ sunt dispersa, si colligantur, ingentem tomum efficient.

FINIS.





